PHILOSOPHIA
MENTIS
METHODICE TRACTATA

ATQUE

AD USUS ACADEMICOS
ACCOMMODATA

ſecundis curis

P. F. FORTUNATI A BRIXIA

ORD. MINOR. S. FRANCISCI REF. PROV. BRIXIÆ.

TOMUS PRIMUS

Logicam continens.

BRIXIÆ. MDCCIL.

Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.

SUPERIORUM APPROBATIONE,
ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI

ANGELO MARIAE QUIRINO

S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO,

ARCHIEPISCOPO, EPISCOPO BRIXIÆ,

Duci, Marchioni, Comiti, &c.

F. Fortunatus a Brixia Min. Ref.

F.

PHiloſophia ſenſuum, quam Tuo nomine Tuiſque auſpiciis inſignitam, PRINCEPS EMINENTISSIME, paucis abhinc annis edidi, latam ac profecto invidendam conditionem intuens hac, ſoror altera (niſi mea caco me eſſe judicio faciant) matura publico, Philoſophia mentis, ne ſe maligne proditam locatamque aliquando quereretur, in id me con-

Digitized by Google

conſilii adduxit, ut pari jure commendandam Tibi ſiſtendamque curarem. Principio quidem verebar iterum accedere, atque inter tot tantaſque curas perquam longe majores, quibus diſtineris, puſilla huic locum rogare; ſed in mentem veniens ſumma illa Tua erga me benevolentia, quam pluribus argumentis beneficiiſque teſtatam reliquiſti, tandem vicit ac pudorem omnem abſterſit. Utque cetera taceam, quæ recenſere facile poſſem, quanti illud ſit, librorum ex domeſtica Tua bibliotheca, ſiqui uſui ſunt, non invidere, norunt omnes, qui literas amant, aliquid etiam audere ac emergere parati, niſi libraria ſupellex aut nulla, aut nimis curta eſſet obſtaculo. Hoc præſidio fultus animos ſumo in dies nova tentandi, accedente præſertim comitate illa Tua, qua, ſiquid de meo exit, amplecteris; inſuper honorificis ſermonibus, quos interdum de me interſerere conſueſti. Scio, PRINCEPS EMINENTISSIME, quantum benigne apud Reverendiſſimum Patrem Cajetanum a Laurino *totius Minorum Ordinis Generalem Miniſtrum nuper de me verba feceris; de meis commodis Romæ uſque ſollicitus. Hæc ex cauſis una, quare & hunc mei*

inge-

Digitized by Google

ingenii fœtum Tuæ fidei committere auderem. Verum altera, eaque potiſſima, fuit conſilium, veteri obſequii conſuetudine, mihi arctius obſtringendi gloriam illam Tuam, qua eo pervenit, ut magis admirationi, quam invidiæ obnoxia eſſe videatur. Neque, ut id colligam, Tua hactenus præclare geſta hic innuere, nedum perſequi, mens eſt. Res enim ut epiſtolæ modo nimis ampla, ſic relinquenda æditu potiori, qui ſingula paulatim legens, in commentarioſque digeſta ſervans, tandem, ubi fata dabunt, ſummæ virtutis ac ſapientiæ, in omni vitæ ſtatu coloreque ſpectatæ, exemplum poſteris tradat. Mihi ſatis erit, ſi das hanc veniam, nonnulla delibare, quæ majorem in modum poſtremis hiſce me commovere temporibus. Quanto literarum amore tenearis, vident ac plerique omnes mirantur. Ubi tamen nihil mirandum inveniat, ſicut ſubeat, hæc ſtudia id proprium habere præter cetera, ut maturam ætatem oblectent, longo uſu doctam, quid ſit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non. *Fuerit hoc mirum iis, qui Te Florentiæ cognoverunt, tum cum adoleſcens, major illecebris, quæ juvenilem animum alio vocare ſolent,*

ita

ita cultor bonarum artium & ſcientiarum eras, ut quicunque diſceptantem audirent, merito ſuſpicerent: quemadmodum, ut tot alios magni & jam vulgati nominis taceam, Luſitano illi Viro accidit, qui Tibi aſſidens in conſeſſu doctorum hominum, injecto forte ſermone de rebus Portughenſibus, ad Tua verba & doctrinam adeo ſtupuit, ut id, in patriam redux, dignum, quod in acta celeberrimæ Academiæ referretur, judicaverit. At Romæ in ipſo Pontificiorum comitiorum æſtu, Brixiæ inter Epiſcopalium curarum multitudinem, tempus curandæ cuti debitum ut literis impendas, deciſis negotiis, illico ſecedere, quo ſpecioſa inde promas hujuſmodi miracula, Vindicias *nempe* Pauli II. *Pontificis Maximi, &* Epiſtolas Franciſci Barbari, *inter Veneta lumina præcipui; hoc mirabile & ego fateor, & fatebitur quiſquis præſertim animadvertat, qualis ejuſdem faſtigii Principum vita eſſe conſueverit. Verum hæc, utpote ad paucos, excretius ſcilicet hominum genus, pertinentia, minus fortaſſe percellant, quam quæ integras urbes, regiones, ac magnam partem Europæ contingunt. Notum eſt, quanti Veronæ intererat, cauſam Pa-*

trum

trum Oratorii ejus civitatis labantem & pene deſperatam firmari; dictum ac factum (qua ratione jupiter!) firmaſti: quanti Brixia, ſive ob ingentis operis templum, de Te pendens, Te reſpiciens, ſive multis aliis de cauſis, agi cum Sanctiſſimo aeque ac Sapientiſſimo PONTIFICE MAXIMO regnante, atque impetrari, ne Te nobis raperet, ſibi expetens, QUIRINUMQUE Urbi terrarum dominae ac capiti deberi contendens; egiſti, impetraſti: quanti denique Italiae, aliarumque regionum, communem trepidationem aliqua ratione ſedari; Barbari æpiſtolæ *peropportune in lucem edi, atque in hac tempora divinitus ſervata videri poſſunt. Adde his, quid Tibi Santiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. indulſerit, quod* S. Laurentius Juſtinianus matrem habuit piiſſimam patritiam feminam Eliſabetham Quirinam, *quod* Tuæ familiæ liberis inſtituendis Beatus Benedictus XI. admodum juvenis vacavit; *quae, teſtimonia certiſſima, quanti faciat Te SUMMUS PATER, non ultimam admirationis partem & ipſa jure ſibi vindicant. Hiſce itaque perculſus, quantum me decus hinc maneat impoſterum, cer-*

 nens,

nens, ſi votorum compotem fieri contingeret, precatum veneram, ut hanc quoque Philoſophia partem, olim tradita germanam, Tibi ſiſti propriamque, dicari paterere. Quod cum annueris, PRINCEPS EMINENTISSIME, reſtat, ut qua benignitate animi acceperis, eadem tuearis & foveas. Vale.

Brixia Idibus Junii An. MDCCXLI.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

MENTIS Philoſophiam, *Logicam* ſcilicet, univerſamque *Metaphyſicam*, pro mei ingenii modulo explanaturus, monitum te in limine velim, candide & erudite Lector, me in hiſce Philoſophiæ partibus pertractandis, non uni ex iis quæſtionibus valedixiſſe, quibus rigido-Peripatetici maximopere delectantur. Æquo me ferant animo rigidiores Scholaſtici, ſi cum eorum uno, & quidem non de turba, *adeo inculta* dixero, *horrida, & ab uſu remota, quæ ſuperioris ætatis homines in hiſce commenti ſunt, ut, niſi plurima rejiciantur, ſatius ſit, ea potius non attingere* (a). *Quid enim prodeſt* (verbis utor doctiſſimi Mabillonii de Logicæ ſtudio loquentis) *tam acriter, ac fuſe de Logicæ objecto diſputare? Quid inquirere, utrum illud ſint entia rationis, an termini, qui ſunt eorum notæ ac ſigna, eo quod de utriſque Dialectica pertractet? Rurſus quid ſcire juvat, num univerſale fiat dependenter ab intellectu? An univerſale genericum, vel ſaltem ſpecificum, revera exiſtat ex natura rei? An dentur entia rationis? An Deus ſit ſub prædicamento ſubſtantiæ? Pluraque id genus alia in æquivocis plerumque conſiſtentia, quæve paucis verbis poſſent expendi, æquivoca explanando, vel rationes hinc inde mere innuendo, ſi forte id etiam fieri expediat* (b). Quod ſi ad trutinam quæſtiones illæ revocentur, quibus tota pene Scholę Metaphyſica continetur, nobiſque grave non ſit, candide ingenueque fateri, quod de majore illarum parte ipſi ſentimus, non dubito, quin judicium noſtrum ne latum quidem unguem ab eo diſtet, quod de minutiſſimis Myrmecidæ Mileſii, & Callicratis Lacedæmonii quadrigis, deque elegeio diſticho aureis literis in ſeſamo ingenioſiſſime ab illis inſcripto, facerat olim Ælianus: eas ſcilicet lau-

(a) Fonſeca lib. VIII. *Inſtit. Logic.* c. 19. (b) P. II. *de ſtudiis Monaſticis* c. 9.

dari a Sapiente non poſſe, propterea nimirum quia non aliud revera ſint, *quam vana temporis jactura* (a). Profecto ecquis eſt ait doctiſſimus Melchior Cano, *qui fere poſſit diſputationes illas de univerſalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio individuationis (ſic enim inſcribunt) de diſtinctione quantitatis a re quanta, de maximo & minimo, de infinito, de intenſione & remiſſione, de proportionibus & gradibus, deque aliis hujuſcemodi ſexcentis, quæ ego etiam cum nec eſſem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis & diligentiæ adhibuiſſem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere, non intelligere, ſi ipſi intelligerent, qui hæc tractarunt* (b). Hæc cum ita ſint, nemo certe mirabitur, ſi ab eo tempore, quo Arabum ſubtilitas diſceptationes hujuſcemodi cum ſermonis barbarie in ſcholas invexit, uſque ad medium, vel circa, proxime elapſi ſæculi, rerum naturalium ſcientia nullum prorſus incrementum ceperit, omneſque ingenuæ artes & diſciplinæ neglectæ plane fuerint, ne dicam contemptæ. *Ex hac methodo, ſeu potius perverſitate docendi*, inquit Buleus, *prodiit in Academiam barbaries quædam latinitatis, inſcitiaque Grammaticæ, & Eloquentiæ. Nam cum omnes ad Dialecticam, & Theologiam illam altercatricem ſtatim ſe conferrent, ut ingenii ſubtilitatem proderent, quæ minus patebat in profeſſione ceterarum artium, elegantiores artes, in quibus ſeveriori meditatione opus eſt, negligebant, & quaſi inutiles rejiciebant* (c). Pręclare proinde huc facit, quod de Cleante legitur apud Stobæum. Interrogatus enim ille, *cur inter veteres cum non multi philoſophati eſſent, plures tamen, quam nunc clari evaſiſſent: quoniam, reſpondit, tunc quidem res ipſa exercebatur, nunc autem verba ſolum* (d). Fateor, Scholaſticis diſceptationibus ingenium apprime acui. Verum

rum

(a) Lib. I. *Variar. Hiſt.* cap. 17.
(b) Lib. IX. *de locis Theol.* cap. 7.
(c) Tom. I. ſæcul. 3. *in methodo docendi*.
(d) Serm. LXXXII.

rum ſimul contendo, tantam illis dandam non eſſe operam, ut major vitæ pars, ne dicam tota, earum ſtudio teratur. Ecquid enim juvat, multum nos obtinuiſſe acuminis, ingenioque valere plurimum, ſi viribus ob id pene jam fractis, ætateque confecta, locus nobis non amplius ſit, ut rebus utilibus neceſſariiſque ſtudium deinde noſtrum acute impendamus? Nimiam Aniceris Cyrenenſis in curribus regendis peritiam, ſi Æliano credimus (a), reprehendit olim Plato, contendens Vir ſummus, *fieri non poſſe, ut qui rebus tam nullius pretii operam navaret adeo diligentem, poſſit magnis & præclaris negotiis ullis vacare*: neque ſane injuria: *Cum enim*, eodem teſte, *omnis cogitatio in iſta conferatur, neceſſum eſt, ut ea negligat, quæ revera ſunt admiratione digna*. Silentio lubens prætereo, *quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quam infeſta ſit veritati* (b). *Tantum enim abeſt, quod veritatem illuſtret, ut*, quemadmodum egregie advertit doctiſſimus Mabillonius, *ipſam ſæpiſſime potius obumbret* (c). *Veratrum*, inquit Ariſto, *craſſiuncule ſumtum, purgat; in pollinem vero levigatum, ſuffocat, ſic & nimis anxia ſubtiliſque in Philoſophia diſputatio* (d). Nimis longum eſſet ire per ſingula, quæ non in humanas tantum diſciplinas, omneſque ingenuas artes, verum etiam in morum ſcientiam, ipſamque Theologiam (*),

 ob

(a) Lib. II. *variar. Hiſt.* cap. 27.

(b) Seneca Epiſt. 89.

(c) P. II. *de ſtudiis Monaſticis* cap. 9.

(d) Apud Stobæum *Serm.* LXXXII.

(*) Homines verbotenus in Theologia Magiſtri, pugnavere illi quidem adverſum Eccleſiæ inimicos, ſed valde tamen infeliciter. Male enim ſe res habet, cum quod ingenio & eruditione effici debet, id tentatur a viris, qui & ingenio parum valent, nec ſunt admodum eroditi. Errabant illi autem a principio ſtatim ſtudiorum ſuorum. Cum enim facultates eas, quæ linguam expoliunt, mirum in modum neglexiſſent; cumque ſeſe in ſophiſtica arte torſiſſent diutius; tum demum ad Theologiam aggreſſi, non Theologiam, ſed ſumum Theologiæ ſequebantur. Quod ſi vituperandi ſunt, qui per ignorantiam erraverunt, quid de iis exiſtimandum eſt, qui volentes & prudentes in errorem inciderunt? Nam cum rem perditam, & collapſam ſua reſtituere auctoritate deberent, tempori, ut inquiunt, ſervientes, non modo ſophiſmata non profligarunt, verum etiam auxerunt. *Melchior Cano* lib. IX. *de locis Theol.* cap. 1. Vide Cl. Mabillonium *de ſtudiis Monaſticis*. P. II. cap. 6. & 7., & Conſtantinum Grimaldi in Opere: *Diſcuſſioni &c. per riſpoſta alle Lettere dell' Aletino*.

Digitized by Google

ob nimiam quorundam ſubtilitatem, derivata ſunt vitia. Id unum monuiſſe ſufficiat, invidam ſcilicet contradicendi libidinem, deque omnibus dubitandi vitium in iis vigere potiſſimum, qui proprio nimis indulgentes ingenio, nihil optant avidius, nihilque ſollicitius curant, quam ut in omni diſceptatione ceteris ſubtiliores, acutioreſque videantur. Nihil enim tam certum, tamque evidens objici illis poteſt, quod, ſi vel quia novum, vel quia hactenus illis incognitum, eorum palato non ſapiat, in dubium ſua ipſi ſubtilitate non vertant. Verum detur venia, ſi hac ſuper re nimius fortaſſe fuerim. Neminem criminari mihi in animo eſt, ſed tantum, ſalva, quæ Scholę jure debetur, reverentia, recentiores Philoſophos a quorundam dicteriis conviçiiſque vindicare. Itaque *ſi culpa eſt reſpondiſſe, quæſo te, ut patienter audias: multo major eſt provocaſſe* (a).

Miſſis ergo Scholæ ſubtilitatibus, ea in *Logica* tantum exhibeo, quæ *cogitandi artem, Logicam* ipſam, niſi mea me fallat opinio, vere conſtituunt: videlicet quæ menti noſtræ facem præbent, eamque dirigunt, ne in rerum inveſtigatione, ipſaque etiam civili vita fallamur ipſi, & alios decipiamus. In illa tamen *Logicæ* parte, quæ *ratiocinium* reſpicit, aliquid inveteratæ conſuetudini dandum fuit: nimirum non prætermittenda penitus, quæ de *ſyllogiſmorum figuris*, & *modis*, deque *reductione imperfectorum ad perfectos*, *eorumque oſtenſione* in Scholis traduntur. At ſi plura omiſi, quæ Scholaſticam ſubtilitatem redolent, adjeci non pauca, quæ *Criticam* ſapiunt. Nemo me accuſet, ſi præter morem id præſtiterim. Etſi enim *Critices* Ars plane diverſa a *Logica* videatur, conſtans tamen opinio mihi eſt, certaque ſententia, perfectum non eſſe *Logicum*, quem *Critica* lateat. Hæc quippe ſpectari mihi poſſe videtur, veluti altera *Logicæ* pars.

Nam

(a) S. Hieronymus Epiſt. 105.

Nam ut iſta in omnibus mentis operationibus dirigendis, ita illa in uno potiſſimum regulando judicio tota verſatur; nihilque hoc præſertim ævo magis intereſt noſtra, quam ut hac potiſſimum in parte nos recte inſtituamus. *Nihil quippe hac tempeſtate celebrius*, ut egregie obſervat doctiſſimus Mabillonius, *quam aliorum cenſuræ vacare; idque univerſim adeo invaluit, ut vel ipſis mulierculis hanc artem profiteri ſit nihil antiquius. Inficiari ſane non auſim, plurimum inde haurire emolumentum. Secus namque, veritatem ſimul atque mendacium perperam confundi ſæpe contingeret, niſi ab invicem per Critices normam dijudicarentur. Verum plerique adeo impudenter iſta abutuntur, ut haud minus, quam ex errore ac ignorantia detrimentum mens inde patiatur. Temerario auſu materias ſuapte ſponte definiunt ſine prævio earum examine; & nedum in eorum diſcuſſione, de quibus in humanis ac naturalibus ſcientiis communiter agitur, talem ſibi uſurpant poteſtatem, verum etiam in iis, quæ ſpectant ad orthodoxæ Fidei dogmata. Superbis enim arbitrario plura identidem aſſerunt, majori ſane fiducia, quam ſi eadem Oecumenicum enuntiaret Concilium. Et hic forte tot inter morbos unus eſſe deprehenditur, queis præſens ſæculum miſere laborat. Quandoquidem, ſi præcedentibus ſæculis noxiæ ſimplicitatis, nimiæque credulitatis vitium adſcribitur; noſtro hoc ævo nil fere ab iis, qui acriori ſe præditos ingenio jactant, recipitur, quin prius ipſorummet cenſuræ ſubdatur* (a). Rem itaque non inutilem arbitratus ſum me facturum, ſi prætermiſſa ſubtilium quæſtionum farragine, quibus vulgaris Scholaſticorum *Logica* abundat, aliquas præclariſſimæ Artis regulas in *Logicam* ipſam transferrem, ſummiſque, ut ita dicam, labiis delibarem.

Quod vero ſpectat ad *Metaphyſicam*, ſicuti nulla eſt Philoſophiæ pars, in qua latius, quam in *Metaphyſica* Scholæ

* 4 ſub-

(a) P. II. *de Studiis Monaſticis* cap. 13.

ſubtilitas dominetur, ita nulla eſt, quæ Medica manu magis indigeat. Ex iis proinde, quæ hac in parte tradi a Scholaſticis ſolent, miſſa feci non pauca. Nihil tamen eorum, quæ utilia mihi viſa ſunt, ſcituque digna, intactum reliqui. Habebis ergo tum, quæ de *ente*, ejuſque *affectionibus*, atque *principiis* ingenuum Metaphyſicum latere haud debent; tum, quæ de *anima rationali*, deque *Deo* ipſo Optimo maximo, ſola dirigente ratione, attingi a nobis poſſunt, & explicari. Hoc tamen loco ſatis de re. Ex ſingularum enim partium præfationibus conſtabit clarius, quid in earum qualibet tradatur. Modo reſtat, ut de methodo, qua res ipſa tractata a nobis fuerit, pauca dicamus.

In id ergo animum intendi, ut, quoad fieri pro rei conditione a me poterat, Geometras imitarer. Non enim alia, omnium Eruditorum judicio, eſt via ad res perdifficiles, maximeque abſtruſas nitide, & facile explicandas magis idonea; ac proinde ad docendum aptior, & ad perſuadendum efficacior. Quam in pertractanda Philoſophia nuper adoptavit Cl. Volfius, digna quidem commendatione eſt; non adeo tamen, ut Geometricæ præferri jure ac merito poſſe videatur. Juxta hanc quippe methodum omnia, etſi quammaxime inter ſe diverſa, ſub eodem tenore, ſive formula traduntur: quod certe haud levem tyronibus confuſionem parit. Non enim, ut par eſt, terminorum definitiones diſcernuntur ab axiomatis; neque propoſitiones per ſe notę ab iis, quę demonſtratione indigent; neque propoſitiones principales ab illis, quæ ſua veluti ſponte ex ipſis fluunt, & derivantur. Nulla quoque mentio eorum fit, quæ in oppoſitum adduci non ſemel poſſunt. Neque enim omnia, quæ docet Vir Cl., certa adeo ſunt, tamque perſpicua, ut illis refragari nemini ſine piaculo liceat. Prætereo, omnes Logicales regulas, om-

niaque

niaque Metaphyſicæ principia exemplis, ex ſublimiori etiam Matheſi deſumtis, a Viro eximio illuſtrari: quod quidem tyronibus quantum negotii faceſſat, difficile dictu eſt; utque verum fatear, videtur nimis arduum, neminem poſſe *Logicæ* ſtudio incumbere, niſi abſtruſiorem Matheſim profundius rimatus antea ſit, in eaque fuerit apprime verſatus. At non ego is ſum, qui Viro ſummo, &, ſi quis alius, de Philoſophia & Matheſi præclare merito, aliquid propterea vel minimum laudis detrahere velim.

Aliud itaque in mentis Philoſophia pertractanda meum fuit conſilium. Poſita naturali, quoad poteſt fieri, rei, de qua diſſerendum eſt, diviſione, primum in ſingulis ſectionibus locum tenent eorum terminorum definitiones, quorum diſtincta notio requiritur, ut quæ ibi explicanda deinde ſunt, vel demonſtranda, probe percipiantur. His ſubjiciuntur in *Logica* animadverſiones, atque regulæ, quæ futuræ ſunt uſui, ne ſuis in operationibus mens noſtra fallatur. In *Metaphyſica* vero poſt terminorum definitiones, principia ex ſuis terminis nota, quibus ad demonſtrationes conficiendas opus neceſſario eſt, exhibeo, & paucis, ſi id neceſſitas poſtulare videatur, expono. Diſtinctis deinde propoſitionibus palam facio, quid ſuper re in diſceptatione poſita probabiliter ſentiendum putem. Singulis propoſitionibus, quemadmodum etiam terminorum definitionibus, ipſiſque *per ſe notis* principiis, ſua, ſi qua mihi ſcitu digna ibi occurrunt, conſectaria ſubjicio; tum ea pro viribus diluo, quæ vel ſententiam, quam teneo, labefactare aliquo modo poſſe videntur, vel aliquid tyronibus negotii faceſſere. In omnibus porro rebus ſive explicandis, ſive demonſtrandis compendio, quoad poteram, ſtudui. Plura omitto, quæ vel ipſa duce natura, nota cuique ſunt; eaque paucis innuo, quæ, levi ad-

hibita

bita attentione, cognoſci optime poſſunt. Quæ vero demonſtratione indigent, ita oſtendo, ut de ſuadendo potius, quam de convincendo intellectu mihi ſit cura; nullibi enim cum refractario & pertinaci res mihi eſt, nec erit unquam, ſed cum docili tantum, veritatiſque amatore ingenuo. *Quid ſit in quaque re maxime probabile ſemper* requiro (a), paratus, *ſalva Catholicæ pace victoriæ, ſalva indiſſolubilium reverentia decretorum, patronos doctrinæ emendatioris audire, & circumciſas ab omni errore lineas ſubtiliſſimæ diſcretionis agnoſcere* (b). Neque enim ulla ejuſmodi ſum neceſſitate adſtrictus, *ut mihi, velim, nolim, ſit certa quædam tuenda ſententia* (c). At ne quis plagiarii crimen mihi imponat, non ſolum auctores, quibus uſus ſum, honoris gratique animi argumento, libentiſſime nomino, ratus cum Plinio ad Veſpaſianum, *benignum eſſe, & plenum ingenua pudoris fateri, per quos profeci* (d); verum etiam, quæ ex illis deſumpſi, ita in medium afferro, ut eadem ipſa illorum verba, alio charactere impreſſa, ſæpiſſime exhibeam.

De ſtylo nihil eſt, quod dicam. Puto meo muneri me feciſſe ſatis, ſi tyronibus, quibus hæc ſcribo, non multum laborandum fuerit, ut, quæ a me dicuntur, quamvis neque polite, neque omnino latine dicta fortaſſe ſint, diſtincte nitideque percipiant. *In rebus difficillimis*, inquit S. Auguſtinus, *non debet curare ille, qui docet, quanta eloquentia doceat, ſed quanta evidentia. Cujus evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora; nec curat, quid bene ſonet, ſed quid bene indicet, atque intimet, quod oſtendere intendit* (e). Diſſimulare tamen hoc loco nequaquam poſſum, quam injuſte Scholaſticos ea de cauſa criminentur nonnulli (nimis

certe

(a) Tullius lib. IV. *qq. Tuſcul.* cap. 4.
(b) S. Proſper *contra Collatorem* cap. 1.
(c) Tullius lib. I. *de natura Deorum* c. 7.
(d) Præf. *Hiſt. Naturalis*.
(e) Lib. IV. *de Doctrina Chriſtiana* cap. 9.

certe emunctæ naris viri) quod in *Logicam* præcipue, & *Metaphyſicam* adeo magna, eorum vitio, irrepſerit barbariſmorum copia, ut de rebus ad eas facultates ſpectantibus, nemo prorſus differere modo queat, quin barbare perſæpe loquatur. Etſi enim non inficiar, diſciplinas hujuſmodi abundare barbaris vocibus; videtur tamen, totum hocquidquid eſt vitii, imputandum Scholaſticis non eſſe; ſed in ipſam quoque Latinæ linguæ penuriam aliquid eſſe rejiciendum. Cum enim de pluribus, præſertim in *Metaphyſica*, diſſeratur modo, quæ a Scriptoribus aurea Latinæ linguæ ætate florentibus, ne leviter quidem memorata ſunt; ecquis mirari jure ac merito poterit, ſi ad ea modo explicanda adhibeantur vocabula Scriptoribus ipſis inuſitata, & Latio prorſus incognita? *Temere* ſane, ſi mihi dicere fas eſt, quod ſentio, *in noſmet legem ſancimus iniquam* (a), ſi in quavis ſcientia, liberalique arte pertractanda, Tullianæ tantum voces uſurpentur velimus, nobiſque ſapidum non ſit, niſi quod auream Latinæ linguæ refert ætatem. Et ipſe profecto ſummus Orator Tullius, Philoſophum agens, ſibi detur poſtular, *ut in rebus inuſitatis, quod Græci ipſi faciunt, a quibus hæc jam diu tractantur*, utatur *verbis interdum inauditis* (b); neque aliam eſſe cauſam, faſſus aperte eſt Quintilianus, cur tantopere aſpernemur vocabula quædam, quæ admodum dura videntur, ut *ens*, & *eſſentia*, *niſi quod* (illius ſunt verba) *iniqui judices adverſus nos ſumus; ideoque paupertate ſermonis laboramus: Nam & quæ vetera nunc ſunt, fuerunt olim nova, & quædam in uſu poſtquam recentia* (c). Caveant ergo cenſores hujuſmodi, ne contra Scholaſticos nimii fortaſſe hac in parte ſint; idque ab illis requirant, quod ne ipſi quidem, etſi in Latina lingua peritiſſimi, præſtare poſſent modo, neque olim potuiſſent. Ce-

(a) Horatius lib. I. *Satyr. III.* v. 66.
(b) Lib. I. *qq. Accadem.* cap. 3.
(c) Lib. VIII. *Inſtit. Orator.* cap. 3.

Ceterum abſit a me prorſus, ut vel de aliquo minus honorifice ſentiam, aut quemquam velim meam in ſententiam adducere. Candide fateor, nihil eſſe, quod magis mihi ſtomachum moveat, quam illa quorundam impudentia, qui de omnibus contra ſentientibus inſolentiſſimo ſpretu loquuntur, quaſi ipſi ſoli ſapientes ſint, & optima quæque videant; ceteri vero pleni ſint præjudiciis, ſemperque in errore verſentur. Maledico enim dente omnes, qui contra opinantur, indiſcriminatim carpere, hominis eſſe puto abutentis otio, & literis. Quantum igitur in me eſt, ſentiat unuſquiſque, prout vult, eoque ſtylo, qui ſibi magis placet, loquatur, & ſcribat. Sufficit mihi hoc loco, faſſum eſſe ingenue, quæ de Scholaſticorum *Logica* & *Metaphyſica* mea opinio ſit; quidque in hiſce tractandis Philoſophiæ partibus ipſe præſtiterim. Omnibus proinde in omnia mea plenum jus eſto. Nemo laudet officii gratia, neque legat invitus. Æquo ferat animo, ſi quid in re, vel in modo peccatum a me fuerit; *nam vitiis nemo ſine naſcitur* (a); illudque velim omnes perſuaſum habeant, monitore ingenuo nihil accidere mihi poſſe jucundius honorificentiuſque. Incaute porro ſi quid fortaſſe ſcripſerim, quod aut Catholicæ Fidei non plane conſonum videri nonnemini poſſit, aut minus ſanam tutamque redolere doctrinam, irritum plane volo, utque corrigatur deleaturque, enixe precor. Totum ſiquidem hoc, quidquid eſt operis, S. Romanæ Eccleſiæ infallibili inconcuſſoque judicio non minus ingenue, quam libenter ſubjicio. Vale, meumque animum æqui bonique conſule.

LO-

(a) Horatius lib. I. *Satyr. III.* v. 67.

LOGICAE SYNOPSIS.

PRolegomena in Logicam. pag. 1.

LOGICES PARS I.
De ſimplici rerum perceptione.

SECTIO I.
Expenditur quid, & quotuplex ſit ſimplex rerum perceptio. pag. 5.

SECTIO II.
De idearum univerſalitate, particularitate, & ſingularitate: ubi de quinque ideis univerſalibus Porphyrii. pag. 8.

SECTIO III.
De veritate, & falſitate, claritate, & diſtinctione idearum. pag. 17.

SECTIO IV.
Quid, & quotuplex ſit diviſio; quaque obſervanda ſint, ut recte fiat. pag. 21.

SECTIO V.
Generalis entis realis diviſio breviter explicatur. pag. 24.

SECTIO VI.
De Ariſtotelis categoriis, vulgo prædicamentis. pag. 29.

SECTIO VII.
De attributorum oppoſitione. pag. 36.

SECTIO VIII.
De rerum prioritate, poſterioritate, & ſimultate. pag. 39.

SECTIO IX.
De idearum ſignis, ſive de terminis vocalibus. pag. 40.

ARTICULUS I.
De ſigno ſenſibili generatim ſumpto, ejuſque affectionibus. pag. 40.

ARTICULUS II.
De voce, prout eſt ſignum. pag. 42.

ARTICULUS III.
De nomine, ſive de termino vocali. p. 44.

SECTIO X.
Quid, & quotuplex ſit definitio; quaque obſervanda ſint, ut optime tradatur. p. 46.

LOGICES PARS II.
De judicio, & propoſitione.

SECTIO I.
Judicii natura paucis explicatur. pag. 51.

SECTIO II.
De origine vitiorum, quibus judicia noſtra labefactari ſolent; & quomodo illis ſit occurrendum. pag. 52.

SECTIO III.
De propoſitionis natura, ejuſque multiplici diviſione. pag. 58.

ARTICULUS I.
Diviſio propoſitionis ratione formæ. p. 60.

ARTICULUS II.
Diviſio propoſitionis ratione qualitatis. pag. 62.

ARTICULUS III.
Diviſio propoſitionis ratione materiæ circa quam. pag. 63.

ARTICULUS IV.
Diviſio propoſitionis ratione modi prædicandi. pag. 64.

ARTICULUS V.
Diviſio propoſitionis ratione materiæ ex qua. pag. 65.

ARTICULUS VI.
Diviſio propoſitionis ratione quantitatis. pag. 71.

SECTIO IV.
De oppoſitione propoſitionum. p. 72.

SECTIO V.
De propoſitionum converſione, & æquipollentia. p. 77.

SECTIO VI.
Explicantur breviter propoſitionum cenſura, quæ in uſu ſunt apud Criticos p. 80.

SECTIO VII.
Regulæ mentem dirigentes in ferendo judicio de rebus tam juris, quam facti: ubi Critices principia explicantur. p. 89.

AR-

ARTICULUS I.

Regulæ pro ferendo judicio de propoſitionibus in genere. pag. 89.

ARTICULUS II.

Regulæ pro ferendo judicio de iis, quæ ſenſuum auxilio nobis innoteſcunt. p. 99.

ARTICULUS III.

Regulæ humanam mentem dirigentes in iis credendis doctrinis, quæ tam divinæ, quã humanæ auctoritati innituntur. p. 102.

ARTICULUS IV.

Regulæ mentem dirigentes in iis credendis eventibus, qui ab humana tantum auctoritate dependent. p. 111.

ARTICULUS V.

Regulæ pro diſcernendis genuinis veterum Scriptorũ operibus a ſuppoſititiis. p. 118.

ARTICULUS VI.

Regulæ pro ferendo judicio de futuritione contingentium. p. 125.

LOGICES PARS III.

De ratiocinatione, ſive diſcurſu.

SECTIO I.

Exponitur ratiocinationis natura, ejuſque generalia principia traduntur. p. 130.

SECTIO II.

De ſyllogiſmo. p. 135.

SECTIO III.

De ſimplicium ſyllogiſmorum figuris, & modis. p. 137.

SECTIO IV.

Traduntur principia, regulæ, & modi ſingularum figurarum ſyllogiſmi. p. 143.

SECTIO V.

De reductione ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum. p. 148.

SECTIO VI.

Traditur univerſale principium dignoſcendi, legitimuſne ſit ſyllogiſmus, an vitioſus, quin ulla prorſus vulgarium regularum ratio habeatur. p. 150.

SECTIO VII.

De ſyllogiſmo compoſito. p. 152.

SECTIO VIII.

De reliquis argumentationis ſpeciebus. pag. 155.

SECTIO IX.

De argumentatione demonſtrativa, & probabili. p. 158.

SECTIO X.

Recenſentur fontes præcipui vitiorum, quibus ratione materiæ ratiocinia noſtra labefactantur. p. 161.

LOGICES PARS IV.

De methodo.

SECTIO I.

De methodo Logico-analytica, ſive inventionis. p. 172.

SECTIO II.

De methodo Logico-ſynthetica, ſive doctrinæ. p. 176.

SECTIO III.

De methodo ſtudendi. p. 184.

SECTIO IV.

De methodo diſputandi. p. 190.

EXERCITATIONES SCHOLASTICAE IN LOGICAM.

EXERCITATIO I.

De Logicæ natura, & materia, fine, atque objecto. p. 201.

EXERCITATIO II.

An idea, ſive ſimplex rei perceptio, poſſit eſſe falſa. p. 215.

EXERCITATIO III.

An voces primo & immediate ſignificent res, num vero conceptus mentis. p. 223.

EXERCITATIO IV.

An propoſitio vera poſſit mutari in falſam. pag. 227.

EXERCITATIO V.

An intellectus, datis præmiſſis ſyllogiſmi, aſſentiri neceſſario debeat cõcluſioni. p. 231.

EXERCITATIO VI.

An de eadem re haberi in eodem intellectu ſimul poſſint ſciẽtia, fides, & opin. p. 235.

F I N I S.

AP-

CUm juſſu Reverendiſſimi Patris Cajetani a Laurino totius Ordinis S. Franciſci Miniſtri Generalis attento, ſerioque animo expenderimus opus, cui titulus eſt: *Philoſophia Mentis Tomus primus*, opera, & ſtudio R. P. Fortunati a Brixia Strictioris Obſervantiæ elaboratum, nihilque in ipſo invenerimus quod Orthodoxæ Fidei, probiſve moribus, vel minimum adverſetur, dignum idcirco cenſemus, ut communi ſcholarum utilitati publica luce fruatur, ſi ita videbitur &c.

Brixiæ in Conventu Corporis Chriſti die 22. Martii 1741.

F. Carolus a Golleono Theologiæ Lector.

F. Proſper a Brixia Theologiæ Lector, & Diffinitor Generalis.

FR. CAJETANUS A LAURINO Lector Jubilatus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matriten. pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

Dilecto Nobis in Chriſto R.P.F.Fortunato a Brixia, noſtræ Ref. Prov. Brixiæ Lectori Theologo, ac Ordinis Scriptori, Salutem, & Seraph. Benedict.

CUm juxta Apoſtolicas noſtrique Ordinis Conſtitutiones; de mandato noſtro, idonei Cenſores Opus quoddam a Te elaboratum, cui titulus eſt, *Philoſophiæ Mentis Tomus primus*, recognoverint, illudque ab ipſis reviſum, & approbatum fuerit: Nos præſentium tenore, cum ſalutaris Obedientiæ merito, Tibi facultatem impertimur, quatenus ſervatis de reliquo ſervandis idipſum Typis mandare poſſis, & valeas.

Datum Romæ ex noſtro Aracœlitano Conventu die prima Aprilis 1741.

F. Cajetanus a Laurino Miniſter Generalis &c.

L. ✠ S. *De mandato R̄mi in Chriſto Patris*

Regiſt. *F. Jo: Laurentius a Roma Secr. Gñlis Ordinis.*

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

COncedemo Licenza à Gian-Maria Rizzardi Stampator di Breſcia di poter riſtampare il Libro intitolato: *Philoſophia Mentis metodice tractata atque ad uſus Academicos accommodata opera, & ſtudio P. F. Fortunati a Brixia Ord. Min. S. Franciſci Reformatorum*, oſſervando gl'ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarìe di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Novembre 1748.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*

(*Barbon Moroſini Proc. Rif.*

(

Regiſtrato in Libro a car. 37. al num. 306.

Michel Angelo Marino Segr.

PRI-

PRIVILEGIUM EXCELLENTISSIMI SENATUS.

PETRUS GRIMANI DEI GRATIA DUX VENETIARUM &c. Univerſis, & ſingulis notum facimus hodie in Conſilio Noſtro Rogatorum captam fuiſſe Partem tenoris infraſcripti videlicet: Sopra l'inſtanze, che ci furono fatte da Gian-Maria Rizzardi, Libraro e Stampatore di Breſcia, ſiamo diſceſi a permettergli la ſtampa nello Stato Noſtro del libro intitolato: *Philoſophia Mentis*, con una *Diſſertazione Fiſico-Teologica*, ed altre *Aggiunte*, Opera del P. Fortunato Minor Riformato della Provincia di Breſcia, ed a concedere a lui ſolo, o chi averà cauſa da lui, ad eſcluſione d'ogn'altro, il Privilegio per anni dieci, da intenderſi principiato dal giorno della preſente, della ſtampa, e vendita del libro medeſimo tanto in queſta Città di Venezia, quanto in qualunque altro luogo dello Stato Noſtro, a condizione che ſia impreſſo in buona carta, perfetti caratteri, bel margine, e diligenti correzioni, da eſſer prodotti nel Magiſtrato de' Riformatori dello Studio di Padova in riſcontro li primi, ſuſſeguenti, ed ultimi fogli, e che ſiano preſentate nelle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova le ſolite Copie. Reſta perciò a' Stampatori tutti, Librari, ed a qualſiſia altra perſona così di queſta, come di qualunque altra Città del Dominio Noſtro, che cauſa, e facoltà non aveſſe da eſſo Gian-Maria Rizzardi proibito il vendere per detti anni dieci lo ſteſſo libro in poca, o molta quantità, il farne ſeguir le riſtampe in Eſtero Stato, anche con l'abuſiva Edizion di Venezia, e l'introdurle nello Stato, ſotto pena della perdita degli Eſemplari, e di Ducati cinquecento, da eſſer applicati un terzo all'Accuſatore, un'altro terzo all'Accademia de' Nobili alla Zuecca, ed il rimanente al Privilegiato. Sotto le medeſime pene ſia pure vietato ad ognuno, per li riferiti anni dieci, di contraſare il libro medeſimo in qualſivoglia ſua parte ſotto preteſto di reſtrinzione, correzione, aggiunta, o mutazione di titolo. Per il che commettemo tanto al Deputato all'eſtrazione de' Libri dalla Dogana di non licenziare dalla medeſima, o da altro luogo ove eſiſteſſero, quelli che non foſſero corriſpondenti agli eſibiti nelle Pubbliche Librarie; quanto al Segretario di non rilaſciar mandato, dovendo intenderſi tutti perduti, e confiſcati, ed incorſo il traſgreſſore nelle pene come ſopra. A chiara intelligenza d'ognuno volemo inoltre, che nel principio, o nel fine del libro predetto ſia in aggiunta delle ſolite licenze regiſtrata la preſente come ſtà, e giace. Quare auctoritate hujus Conſilii mandamus omnibus, ut ita exequi debeant.

Dat. in Noſtro Ducali Palatio die XXIII. Auguſti Indictione XII. MDCCXXXXIX.

1749. 25. Agoſto.

Gl' Illmi, ed Eccmi Signori Riformatori dello Studio di Padova hanno al ſopradetto Gian-Maria Rizzardi Libraro, e Stampator di Breſcia conceſſo il ſu eſpreſſo Privilegio.

(*Gio: Emo Proc. Rif.*
(*Z. Alviſe Mocenigo 2.° Rif.*
(

Michiel Angelo Marino Segret.

PRO-

PROLEGOMENA IN LOGICAM.

LOGICA nomine ea venit facultas, qua in vero recte cognoſcendo, ordinateque explicando mens humana dirigitur. Hæc enim una, ut præclare eam explicat Tullius, *docet rem univerſam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde diſtinguere; poſtremo habere regulam, qua vera & falſa judicentur, & quæ, quibus poſitis, ſint, quæque non ſint, conſequentia* (a).

I I.

Logica nomen a Græco vocabulo Λόγος, quod Latine *ſermonem* refert, derivatum eſt. *Logica* idcirco, ſi vis ſpectetur vocabuli, ſermocinandi, non quidem ore, ſed mente, facultatem deſignat; quippe & ipſa cogitatio, ſi Platoni credimus, *ſermo eſt, quem mens apud ſe volvit circa illa, quæ conſiderat* (b). *Dialectica* quoque vocari hæc Diſciplina a pleriſque conſuevit, quatenus nempe methodus diſputandi, diſſerendique in utramque partem in ea traditur. *Nomen Græcum eſt Dialectica*, inquit S. Auguſtinus, *quæ, ſi uſus admitteret, fortaſſe Latine* Diſputatoria *vocaretur* (c). Verum, cum ad Logicum ſpectet, non ex probabilibus ſolum, verum etiam ex neceſſariis diſſerere, *Dialectica* unam tantum *Logicæ* partem, eam ſcilicet, quæ diſputat ex probabilibus, proprie loquendo, ſignificat, quemadmodum altera ejuſdem pars, quæ diſſerit ex neceſſariis, *Apodictica* nuncupatur. Uſus tamen invaluit, ut etiam ipſa tota cogitandi ars *Dialectica* nomine exprimeretur.

I I I.

Cum ergo *Logica* contineat *omnem & perſpiciendi, quid in quaque re ſit, ſcientiam, & judicandi, quale quidque ſit, & ratione ac via diſputandi* (d),

(a) De *Claris Oratoribus* cap. 41.
(b) In *Theæteto*.
(c) Lib. I. *contra Creſconium* cap. 14.
(d) Tullius Lib. II. *de Finibus* cap. 6.

per omnes partes ſapientiæ ipſa manat & funditur (a), utpote *ſine qua omnino ſapientia eſſe non poteſt perfecta* (b). Quamobrem recte ab Ariſtotele *organum*, ſive *inſtrumentum ſciendi* dicta eſt (c), *ars omnium maxima* a Tullio (d), a S. Auguſtino *diſciplina diſciplinarum* (e), omniumque *ſcientiarum judex* atque *formatrix* (f). Non eſt propterea, cur de *Logicæ* utilitate, neceſſitate, atque præſtantia plura verba faciam. Si namque, teſte Viro Cl. deque *Logica* præclare merito, *nihil optabilius eſt bona mente, rationiſque ad verum a falſo dignoſcendum æquabilitate* (g), nihil ſane præſtantius, nihil utilius, magiſque nobis neceſſarium ea facultate eſt, quæ mentem dirigit, ne in vero inquirendo inveſtigandoque fallatur ipſa, alioſque decipiat. Hinc Veteres *Logicam* ſymbolice exprimere volentes, eam ſatis apte inſtar *manus clavem tenentis* deſignarunt; quod hinc ſcilicet ſatis cuique conſtare poſſe arbitrarentur, *Logicæ* munus in eo eſſe poſitum, ut ad diſciplinas omnes, ingenuaſque artes tuto perdiſcendas viam ipſa panderet & aperiret (h).

I V.

Prima porro *Logicæ* rudimenta ab iis excogitata fuiſſe, poſteriſque tradita, qui humanarum, divinarumque rerum ſtudio ab ipſo Mundi exordio incubuerunt, nemo, ut puto, ibit inficias. Neque enim fieri potuiſſe videtur, ut hiſce de rebus illi diſceptarent, atque inter ſe mutuo colloquerentur, quin vitia plurima diſſerendo committerent, eaque deinde obſervarent, & obſervando corrigerent, certis quibuſdam hinc ſtabilitis, ſibique præfixis regulis, ne in eoſdem errores incauti iterum laberentur. Artibus quippe omnibus illud commune eſt, teſte Tullio (i), ut ex plurimis rerum comprehenſionibus cogitationibuſque inventæ primo fuerint, & ſenſim effectæ (*).

V.

Quoniam vero Zeno Eleates ab Ariſtocle apud Laertium (*k*) *Logi-*

ca

(a) Tullius lib. V. *qq. Tuſcul.* cap. 25.
(b) S. Auguſt. lib. III. de *Academ.* cap. 13.
(c) Lib. III. *Metaph.* tex. 15.
(d) In *Bruto*.
(e) Lib. II. *de Ordine* cap. 13.
(f) Lib. III. *de Academicis* cap. 13.
(g) Auctor *Artis cogitandi* Diſſ. I. *proœm.*
(h) Laurent. Beverlinck in *Magno Theatro Vitæ humanæ* v. *Logica*.
(i) Lib. III. *de Finibus* cap. 15.
(k) In vita *Zenonis*.

(*) Initium dicendi dedit natura; initium artis obſervatio. Homines enim, ſicut in Medicina cum viderent alia ſalubria, alia inſalubria, ex obſervatione eorum effecerunt artem; ita cum dicendo, alia utilia, alia inutilia deprehenderant, notarunt ea ad imitandum vitandumque, & quædam ſecundum rationem eorum adjecerunt ipſi quoque. *Quintilianus* lib. III. *Inſtit. Orator.* cap. 2.

Digitized by Google

ca inventor dicitur, primus ille fuiſſe videtur, qui *Logica* præcepta in unum diſtincte collegerit, ſcriptiſque ediderit. *Logicam* a Zenone accepit Socrates, atque a Socrate Plato; qui deinde ipſam ita illuſtravit & auxit, ut dignus fuerit, qui pro *Logica* inventore a pleriſque haberetur. Tanta certe fuit fama, quam dialogiſticæ philoſophandi formæ ſua ille auctoritate conciliavit, quamque ipſi uni Platoni, ſi Laertio credimus (a), omnes referebant acceptam, ut, omni poſthabita penituſque neglecta ſyllogiſtica forma, ſola interrogatione in pertractanda Philoſophia quiſque eo tempore uteretur.

V I.

Zenonis, Socratis, Divinique Platonis in eximia arte perficienda ſummum ſtudium atque ſolertiam æmulati deinde ſunt Euclides quidam Megarenſis, Speuſippus, Heraclides, Carneades, Zeno Stoicus, aliique plurimi, ſed præ ceteris Zenonis auditor Chryſippus. Is enim, ut refert Laertius, *adeo in Dialectica inſignis fuit, tantaque apud omnes æſtimationis, ut plerique dicerent, ſi apud Deos uſus eſſet Dialectica, non futuram aliam, quam Chryſippeam* (b).

V I I.

Hiſce tamen omnibus palmam præripuit Ariſtoteles. Nullus eſt enim, qui hanc Philoſophiæ partem ipſo accuratius perſecutus ſit, uberiuſque pertractaverit; ut jure proinde illorum omnium Principem ipſum dixerit Tullius (c), qui hactenus magna cum laude in *Logica* verſati fuere, deque ea præclare meriti habebantur. Totam itaque *Logicam* XVII. libris Ariſtoteles complexus eſt. In primo, qui *Categoriarum* inſcribitur, de iis agit, quæ ad perceptionem pertinent. Duo, qui ſequuntur, *Perihermenias*, ſive *de interpretatione* dicti, judicium reſpiciunt. Hiſce ſubjiciuntur quatuor, quorum duo *Priorum analyticorum*, duo vero alii *Poſteriorum analyticorum* nuncupantur. In illis de *ſyllogiſmo* generatim ſumto; in his vero de *ſyllogiſmo demonſtrativo* differit. Occurrunt deinde octo libri *Topicorum*, locorum ſcilicet, ex quibus media, ut ajunt, argumentandi in quavis re deſumuntur. Horum autem præ ceteris tanta præſtantia eſt, tantaque utilitas, ut, teſte Cl. Facciolato, nihil potuerit *ab humano ingenio, atque adeo ab Ariſtotelis ingenio, ad dicendi & diſſerendi copiam parari divinius* (d).

A 2 Poſtre-

(a) In vita *Platonis*.
(b) In vita *Chryſippi*.
(c) *Topic.* cap. 2.
(d) Proœm. P. IV. *Inſtit. Logicæ*.

Digitized by Google

Poſtremum tandem locum occupant duo libri *Elenchorum*, earum nempe captionum, quibus decipi incauti a Sophiſtis poſſunt, & reipſa haud raro decipiuntur.

VIII.

At vero quantum non luminis ſolum, verum & incrementi a Recentioribus *Logica* nuper acceperit, nemo, ut opinor, eſt, quem lateat. Eximia ſunt enim, quæ illorum labore & ſtudio, ei adjecta fuere. Sique ordinis, nitoris, & elegantiæ, quibus ingenuæ hujuſce artis præcepta tradi ab illis ſolent & explicari, ratio habeatur, nihil eſt profecto, quod jure meritoque in ea optare aliquis amplius poſſit. Hanc itaque explanaturi, *non unum aliquod propoſuimus exemplum, cujus omnes partes, quocunque eſſent in genere exprimendæ nobis neceſſario viderentur; ſed omnibus unum in locum coactis Scriptoribus, quod quiſque commodiſſime præcipere videretur, excerpſimus, & ex variis ingeniis excellentiſſima quæque libavimus* (a), apum induſtriam imitati, *quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulere, diſponunt, & per favos digerunt* (b). *Id ſolum addendum admonendumque eſt, quod hujus Diſciplinæ ſtudium atque cognitio in principiis quidem tetra, & aſpernabilis, inſuaviſque eſſe, & incivilis videri ſolet; ſed ubi aliquantulum proceſſeris, tum denique & emolumentum ejus in animo tuo dilucebit, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis* (c).

Logicæ partitio.

Quemadmodum quatuor ſunt humanæ mentis operationes, in quibus dirigendis *Logica* tota verſatur, *ſimplex* ſcilicet rerum *perceptio*, *judicium*, *diſcurſus*, ſive *ratiocinatio*, atque *methodus*, ita quatuor ſunt partes, in quas a Recentioribus *Logica* ipſa dividitur. Prima pars *ſimplicem* rerum *perceptionem* expendit, regulaſque præſcribit, quibus mens in percipiendo dirigitur. Secunda ita de *judicio* diſſerit, ut ea ſimul exhibeat, quæ animadvertenda a nobis ſunt, ne hac in parte fallamur. Tertia *ratiocinationis* naturam, principia, legeſque complectitur. Poſtrema in tradendis regulis, quibus *recta* non inveniendi ſolum atque docendi, verum etiam ſtudendi diſputandique *methodus* continetur, tota conſiſtit.

LO-

(a) Tullius Lib. II. de *Inventione* cap. 1.
(b) Seneca *Epiſt.* 85.
(c) Aulus Gellius Lib. XVI. *Noctium Atticarum* cap. 8.

LOGICES
PARS PRIMA.
De ſimplici rerum perceptione.

Quemadmodum *ſimplex* rerum *perceptio*, ſive *apprehenſio*, ut ajunt Scholæ, prima humanæ mentis operatio eſt, ita primo loco de ea videtur diſſerendum. Illius itaque natura, quantum ad Logicum attinet, paucis explicata, ea tradennus, quæ animadvertenda a nobis ſunt, ne in rebus percipiendis, ut facile eſt, decipiamur.

SECTIO PRIMA.

Expenditur quid, & quotuplex ſit ſimplex rei perceptio.

I.

1. Simplex rei *perceptio* ea mentis affectio eſt, qua rem attingimus, quin de ipſa re quidquam a nobis affirmetur, vel negetur; ut, cum in ligno ſoliditatem extenſionemque, in igne vero lucem atque calorem cogitatione complectimur, & mente retinemus, quin vel ſoliditatem & extenſionem cum ligno, vel lucem atque calorem cum igne, affirmando, conjungamus. Hæc porro *intellectualis* rei *forma*, *ſpiritualis* ejuſdem *imago*, atque *exemplar*, quod ineffabili prorſus modo in mente excitatur, quoties lumen ſuum per attentionem in res,

Digitized by Google

quæ ſibi occurrunt, convertit, *ſpecies* rei *expreſſa*, *verbum mentis*; atque *idea* a Philoſophis dicitur (*).

I I.

2. Cavendum tamen maximopere eſt, ne *idea*, de qua modo loquimur, cum ea corporea imagine in cerebro depicta confundatur, ad quam mens ſeſe convertit, dum abſens aliquod ſenſibile corpus, perinde ac ſi præſens illud ſibi eſſet, contemplatur. Hujuſmodi ſiquidem ſpectrum ab ipſa rei *notione*, ſive *idea* quammaxime diverſum eſt. Illud enim, utpote in cerebro exaratum, atque in ipſo, tamquam in ſubjecto, exiſtens, omnino *corporeum* eſt, & *materiale*. Hæc vero penitus *ſpiritualis* eſt, utpote pura mentis affectio. Innumera ſunt profecto, quæ percipi a nobis poſſunt, & percipiuntur reipſa, quin aliquod in cerebro ſimulacrum fiat, in quo illa, tamquam in imagine, deinceps a nobis attingantur. *Tempus* quippe, *virtutes*, aliaque id genus plurima, cognitione complectimur, quin aliquod ſpectrum in cerebro depictum mens tunc ſibi contemplandum proponat, atque exhibeat (**). Duplicem itaque *perceptionem* quamaccurate diſtinguamus oportet; alteram ſcilicet, qua ita res attingitur, ut ſimul ejuſdem quædam corporea imago in cerebro fiat; alteram vero, qua cognoſcitur res, nullo prorſus corporeo ſpectro, in quo illam mens contempletur, in ſubſidium adſcito. Prior *imaginatio*; poſterior vero *intellectio*, *ſimplex* rei *notio*, atque *idea*, ut eſt jam dictum, nuncupatur.

I I I.

3. Ratione objecti *idea* dividitur primo in *ſimplicem*, & *complexam*. *Idea ſimplex* dicitur illa, quæ in plures diſtinctas notiones reſolvi nequit, cujuſmodi ſunt ideæ *unitatis*, *veritatis*, *exiſtentiæ*, atque id genus aliæ. *Complexa* vero, quæ plures diſtinctas notiones in ſe continet,

(*) *Ideæ* nomen primus omnium adhibuiſſe videtur Plato. Is enim *ideam* dixit exemplar illud in mente poſitum, quod continuo intuetur artiſex, dum aliquod extra molitur. Hinc Seneca de iis loquens *ideis*, quas olim Plato in divina mente poſuerat, *ideas*, inquit, *vocat* (Plato) *ex quibus omnia, quæcumque videmus, ſiunt, & ad quæ cuncta formantur. Hæ immutabiles, inviolabiles ſunt. Quid ſit idea, ideſt, quid Platoni eſſe videatur, audi*: IDEA EST EORUM, QUÆ NATURA FIUNT, EXEMPLAR ÆTERNUM. *Epiſt.* 59. *edit. Baſileenſis*. 1557.

(**) Et ſumus, & nos eſſe novimus, & id eſſe, ac nos diligimus. In his autem tribus, quæ dixi, nulla nos falſitas veriſimilis turbat. Non enim ea, ſicut illa, quæ foris ſunt, ullo ſenſu corporis tangimus, velut colores videndo, ſonos audiendo, odores olfaciendo, ſapores guſtando, dura & mollia contrectando, ſentimus; ſed ſine ulla phantaſiarum, vel phantaſmatum imaginatione ludificatoria mihi eſſe me, idque noſſe & amare, certiſſimum eſt. *S. Auguſtinus* lib. II. *de Civitate Dei* cap. 26.

Digitized by Google

net, ut idea *hominis*, quatenus ſub ratione *animalis rationalis* a nobis ille concipitur. Duæ quippe in ea ſunt notiones diſtinctæ, *animalitatis* ſcilicet una, *rationalitatis* altera.

IV.

4. Dividitur ſecundo in *adæquatam*, *& inadæquatam*. Prior eſt, quæ omnia in re contenta menti exhibet. Poſterior autem, quæ aliquid tantum ipſius rei menti oſtendit. Cognitio rei adæquata *comprehenſiva* vocari etiam ſolet. *Totum* quippe *comprehenditur videndo*, inquit S. Auguſtinus, *quod ita videtur, ut nihil ejus lateat* (a). Opinor tamen, ad veram *comprehenſionem* neceſſario requiri, non ſolum ut tota rei eſſentia, verum etiam ut id omne, quod *formaliter*, *virtualiter*, & *eminenter* ea res continet, cognoſcatur; atque adeo ut omni penitus modo, quo res ipſa *abſolute* cognoſcibilis in ſe eſt, mens illam attingat. Enimvero *quidquid ſcientia comprehenditur*, inquit laudatus S. Doctor, *ſcientis comprehenſione finitur*, ut proinde etiam ipſa infinitas *quodam ineffabili modo Deo finita ſit; quia ſcientiæ ipſius incomprehenſibilis non eſt* (b). Dubium itaque eſſe nequit, quin comprehenſiva rerum cognitio ſoli Deo conveniat.

V.

5. Ratione originis in tres claſſes diſtribui a pleriſque ſolent *ideæ*, nimirum in *adventitias*, *factitias*, *& innatas*. *Adventitias ideas* vocant, quæ ſenſuum ope acquiruntur. *Factitias*, quas ex *adventitiis* componendo, aut ſeparando nos ipſi efficimus. *Innatas* vero, quæ ſine opera noſtra in nobis ſunt, utpote eo temporis momento menti ab ipſo Deo impreſſæ, quo eam creat, organizatoque corpori copulat, ineffabiliterque conjungit. *Adventitiæ* igitur ſunt rerum omnium ſenſibilium *ideæ*; quippe quæ nobis ex rebus ipſis per ſenſus adveniunt. *Factitia* idea *montis aurei*, utpote ex *adventitiis* montis, aurique *ideis* ſimul veluti compoſita. *Innata* vero idea *Dei*, ſi iis credimus, qui hoc *idearum* genus admittendum in nobis eſſe contendunt. Hujuſmodi enim, illorum ſententia, *Dei* idea eſt, ut neque formari a nobiſmetipſis, neque ab ulla re creata oriri, atque in nos derivari ipſa potuerit. *Quæ enim gens, aut quod genus hominum*, inquiunt cum Tullio, *quod non habeat ſine doctrina anticipationem quamdam Deorum* (c)? Verum hac de re plenius in Metaphyſica. Satis enim mihi modo eſt, hoc poſtremum *idearum* genus vel leviter adumbraſſe.

(a) Epiſt. 112.
(b) Lib. XII. *de Civitate Dei* cap. 18.
(c) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 16.

Digitized by Google

SECTIO SECUNDA.

De idearum univerſalitate, particularitate, & ſingularitate: ubi de quinque ideis univerſalibus Porphyrii.

I.

6. Omnis idea vel *univerſalis* eſt, vel *particularis*, vel *ſingularis*. *Univerſalis* dicitur, ſi hujuſmodi ea fuerit, ut ſimul plura in illa conveniant. Talis eſt idea *animalis*. Hæc enim ita communis eſt homini, belluiſque, ut ſi ſub *animalis* ratione dumtaxat ſpectentur, homo a bellua nullo prorſus modo diſcerni poſſit.

I I.

7. *Particularis* eſt illa, quæ unum quidem numero ſubjectum tantummodo nobis exhibet, verum omnino vagum & indeterminatum. Sic *particularis* eſt idea *hominis*, quæ in mente excitatur, dum eum a longe venientem ipſi conſpicimus. Unus enim eſt *homo*, quem idea illa menti repræſentat, oſtenditque; at quis ille determinate ſit, nobis per eam minime conſtat.

I I I.

8. Idea vero *ſingularis* ea eſt, quæ unum numero certum, determinatumque ſubjectum menti repræſentat. Hujuſmodi eſt idea *Petri*. Quandoquidem ita una res nobis in illa occurrit, ut pluribus ſimul reſpondere ipſa nequaquam poſſit.

I V.

9. Duo porro in idea *univerſali* intereſt quamaccurate diſtinguere, *comprehenſionem* ſcilicet, & *extenſionem*. Sub ideæ *comprehenſione* veniunt ea omnia, quæ ita in illa ſunt, ut nullum plane, quin idea ipſa deſtruatur, negligi queat. Sub ideæ vero *extenſione* ea omnia occurrunt, quibus idea ipſa competit. Illa idcirco ideæ *attributa*, hæc vero ejuſdem *ſubjecta*, ſive quod perinde eſt, *inferiora* nuncupantur. Sic *animalitas*, & *rationalitas* ad *comprehenſionem* ideæ hominis pertinent; at vero *Petrus*, *Paulus*, ceterique homines ad illius *extenſionem*. Hi namque ſunt ſubjecta, quibus *hominis* notio competit; contra vero *animalitas*, & *rationalitas* ſunt attributa, quæ in *hominis* notione continentur, nobiſque relucent.

10. Quam-

V.

10. Quamvis autem, ut egregie obſervat Vir Cl., *idea indiſtinctim ad omnia ſubjecta, ideſt inferiora, quibus convenit, ſe extendat, communique nomine illa ſignificet; tamen inter attributa, quæ comprehendit, & ſubjecta, ad quæ extenditur, diſcrimen ex eo eſt, quod ideam nullo ſuorum attributorum ſpoliare poſſimus, quin deſtruatur, quemadmodum jam dictum eſt; cum tamen e contrario poſſimus ejuſdem extenſionem reſtringere, illam tantum quibuſdam ſubjectorum applicando, non tamen ea propter deſtruetur* (a).

V I.

11. Minuitur itaque extenſio ideæ *univerſalis*, ſive idea ipſa ad pauciora ſubjecta contrahitur, ſi illi altera adjiciatur. Pauciora enim ſunt hoc ipſo, quibus illa convenit. Sic idea *animalis*, quæ omnibus hominibus, belluiſque communis eſt, determinatur ad ſolos homines per *rationalitatem*, nimirum ſi ex idea *animalis*, & ex idea *rationalitatis* una complexa *animalis rationalis* idea componatur.

V I I.

12. Quinque ideæ *univerſales* vulgo numerantur, ſcilicet *genus*, *differentia*, *ſpecies*, *proprium*, & *accidens*. *Prædicabilia* vocari etiam ſolent, quatenus nempe modum exhibent, quo unumquodque attributum de re enuntiari poteſt. Omne enim, quod de alio dicitur, enuntiatur vel ut *genus*, vel ut *differentia*, vel ut *ſpecies*, vel ut *proprietas*, vel ut *accidens*. Tribus prioribus modis, ut patebit, enuntiantur attributa, quæ ad ſubjecti *eſſentiam* ſpectant; duobus vero reliquis dici ſolent de re, quæ extra illius *eſſentiam* exiſtunt. Primus omnium Porphyrius, ſi Ammonio credimus, ex Platonis doctrina, de hiſce quinque ideis, in gratiam Chryſaorii Romani adoleſcentis, libellum contexuit, *Porphyrii iſagogem* vulgo dictum, quod ſit veluti quædam ad Ariſtotelis *categorias* introductio. Plura quidem in eo ſcripſit Porphyrius Catholicæ fidei plane contraria, penituſque abſurda. At cum accurate *univerſalium idearum* numerum, naturamque expoſuerit, digna hæc pars fuit, quæ ab omnibus reciperetur. Fuit porro Porphyrius natione Judæus, patria Tyrius, Chiſtianæ Religionis, cui nomen dederat, infenſiſſimus hoſtis, profeſſione Philoſophus, ſecta Platonicus, Plotini diſcipulus, condiſcipulus Origenis, Jamblici præceptor, vixitque ſæculo Chriſti tertio.

De

(a) Auctor *Artis cogitandi* P. I. cap. 6.

Digitized by Google

De Genere.

I.

13. *Genus* eſt *attributum univerſale commune pluribus differentibus ſpecie*. Hujuſmodi eſt ratio *animalis*, ſi ad homines, atque belluas referatur. Communis quippe illis omnibus ea eſt. Verum ita ad eorum *eſſentiam* ſpectat, ut adhuc tamen inter ſe mutuo *eſſentialiter* diſcriminentur. *Specie* porro differre dicuntur, quæ ſub eodem *genere* poſita, *natura*, ſive *eſſentia* ſunt inter ſe diverſa. Sic homo & equus *ſpecie* differunt; quia licet ſint ſub eodem genere *animalis*, in eoque plane conveniant, adhuc tamen *eſſentialiter* inter ſe diſcrepant.

I I.

14. *Generica* itaque *ratio*, quæ maxime univerſalis eſt, determinatur, atque ad pauciora ſubjecta contrahitur per attributum, quod ad ipſorum ſubjectorum *eſſentiam* itidem ſpectat. *Rationalitas* enim, per quam genericum *animalis* attributum contrahitur ad ſolos homines, ita ad eorum *eſſentiam* pertinet, ut illam intrinſecus conſtituat.

I I I.

15. *Genus* dividitur primo in *proximum* & *remotum*. *Genus proximum* dicitur illud, quod ita enuntiatur de pluribus differentibus *ſpecie*, ut nullum aliud attributum habeat infra ſe, quod de illis ſub *generis* itidem ratione dici poſſit. *Remotum* vero eſt illud, quod aliud *genus* ſub ſe continet. Sic, cum homo, & bellua immediate ſint ſub genere *animalis*, mediate vero ſub *genere viventis*, *animal* eſt *genus proximum*; *remotum* autem *vivens*, ſi ad hominem, atque belluas attributa ipſa referantur.

I V.

16. Dividitur ſecundo in *ſupremum*, *medium*, & *infimum*. *Supremum* eſt, quod ſupra ſe nullum habet attributum, cui vera *generis* ratio competat. *Medium*, quod tam ſupra, quam infra ſe habet alterum *genus*. *Infimum* vero, ſub quo *genus* aliud non reperitur. Sic attributum *ſubſtantiæ* a pleriſque dicitur *genus ſupremum*; quod, eorum ſententia, nihil ſit ſupra *ſubſtantiam*, cui *generis* ratio conveniat. *Vivens* vero eſt genus *medium*, & *animal* genus *infimum*; cum ſcilicet *vivens* medium inter attributum *ſubſtantiæ*, & attributum *animalis* locum teneat; contra vero ſub *animali* genus alterum non inveniatur.

17. Ob-

V.

17. Obſervandum porro eſt, illud attributum dici *ſuperius* alio, quod illo univerſalius eſt, ſeu quod majorem extenſionem habet. Sic attributum *corporis* dicitur ſuperius attributo *viventis*; quia ſunt longe plura, quibus competit ratio corporis, quam ea ſint, quæ vita donantur.

De Differentia.

I.

18. *Differentia* nomine id omne venit, per quod res una ab altera differt. Duplex idcirco rerum *differentia* eſt, *eſſentialis*, & *accidentalis*. *Differentia eſſentialis*, quæ ſola nobis modo conſideranda occurrit, dicitur illud attributum, per quod una res ab alia, cum qua in *genere* convenit, *eſſentialiter* diſcriminatur. Hujuſmodi idcirco in homine eſt *rationalitas*. Per hanc enim homo a belluis *eſſentialiter*, ut omnibus notum eſt, diſtinguitur.

I I.

19. Hinc *differentia eſſentialis* referri poteſt tum ad *genus*, quod dividit, tum ad *totum*, quod cum *genere* conſtituit. Si referatur ad *genus*, rationem habet *attributi determinativi*. Habet vero rationem *partis eſſentialis*, ſi cum *toto*, quod ex illa fit, conferatur.

I I I.

20. Quoniam autem in eo attributo plura convenire ſimul poſſunt, per quod ab aliis *eſſentialiter* diſtinguuntur, ut patet de *rationalitate*, quæ omnibus hominibus communis eſt, & per quam homines a belluis differunt, ideo etiam *differentia eſſentialis* inter ideas univerſales locum tenet, ſeu peculiare univerſale ipſa quoque conſtituit. Definitur propterea: *attributum eſſentiale commune pluribus ſub eodem genere poſitis, per quod tamen ab aliis ſub eodem genere conſtitutis eſſentialiter diſcrepant.*

I V.

21. Dividitur porro *differentia eſſentialis* primo in *remotam*, & *proximam*. Prior eſt illa, quæ *genus remotum*; poſterior, quæ *proximum* dividit. Sic *corporeitas* eſt *differentia remota*; *proxima* vero *rationalitas*. Illa namque remotum *ſubſtantia* genus; hæc autem genus proximum *animalis* diſtribuit.

22. Di-

Digitized by Google

V.

22. Dividitur ſecundo in *ſupremam*, *mediam*, *&* *infimam*. *Suprema* eſt, quæ genus ſupremum; *media*, quæ medium; *infima* vero, quæ genus infimum dividit. Sic *corporeitas*, ſi *ſubſtantia* pro ſupremo genere habeatur, *ſuprema* differentia eſt, *animalitas* differentia *media*, *infima* vero *rationalitas*; quippe *corporeitas* ſupremum genus *ſubſtantiæ*; *animalitas* genus medium *viventis*; & *rationalitas* infimum *animalis* genus ſecat & contrahit.

VI.

23. Dividitur poſtremo in *genericam*, & *ſpecificam*. *Generica* dicitur differentia, quæ ita dividit genus, ut totum ex illa, atque ex ipſo genere conſurgens, ſi cum illis, quæ ſubjecta eidem ſunt, comparetur, veram adhuc *generis* rationem retineat. *Specifica* vero differentia vocatur, quæ ita genus diſtribuit, ut nonniſi ſpeciem conſtituat. Hinc differentia tam ſuprema, quam media *generica* eſt; *ſpecifica* vero differentia infima.

De Specie.

I.

24. *Species eſt attributum conſtans genere & differentia, commune pluribus ſolo numero differentibus, de quibus propterea ut tota eorum eſſentia enuntiatur.* Sic natura humana *ſpecies* vere eſt, jureque dicitur. Ex *genere* ſiquidem, & *differentia*, nempe ex *animalitate*, & *rationalitate*, intrinſecus conſtat; totaque eorum omnium *eſſentia* eſt, quæ illi ſubjiciuntur.

II.

25. Solo autem numero diſcriminari dicuntur inter ſe mutuo, quæ *ſpeciei* proxime ſubſunt. Nullum quippe eſt illorum diſcrimen, ſi penes *eſſentiam* inter ſe mutuo conferantur. *Individua* vocari etiam ſolent, propterea nimirum quia nullum eorum in plura talia, quale ipſum eſt, ſecari poteſt. Hinc *individuum* ſatis apte definiunt Logici: *id, ſub quo nihil reperitur, de quo illud vel ut tota eſſentia, vel ut eſſentiæ pars valeat enuntiari.*

III.

26. Porro licet *individua* ejuſdem ſpeciei in tota *eſſentia* conveniant,

niant, aliquid tamen in ipſis eſt, per quod unum ab altero differt. Hoc igitur *individualem differentiam* vulgo appellant Scholaſtici. Omiſſis autem tricis, dico, eam optime deſignari per talem quarundam proprietatum, circumſtantiarumque congeriem, ut eadem omnino in duobus reperiri minime poſſit. En, quæ *individualem* hominis *differentiam* deſignant & exprimunt:

Forma, Figura, Locus, Tempus, Stirps, Patria, Nomen.

Per *formam* intelligitur temperamentum. Per *figuram* externa partium diſpoſitio. Per *locum* ea terræ pars, in qua ortum duxit. Per *tempus* momentum, quo conceptus homo fuit, atque in lucem editus. Per *ſtirpem* parentes. Per *patriam* civitas, provincia, vel regnum. Per *nomen* poſtremo vocabulum illud, quod ſibi quiſque imponit. Nemo autem eſt, qui non videat, fieri neutiquam poſſe, ut duo homines in hiſce omnibus plane conveniant.

IV.

27. Cum *ſpecies* ſubjiciatur *generi*, ſimulque *individua* ſibi ſubjecta reſpiciat, duplicem denominationem illa ſortita eſt. *Subjicibilis* ſiquidem dicitur, ſi *generi* comparetur; *prædicabilis* vero, ſi ad *individua* referatur. Non enim de *genere*, cui ſubeſt, ſed de *individuis*, quibus præeſt, enuntiari *ſpecies* legitime poteſt. Hinc *ſpecies*, non qua *ſubjicibilis*, ſed qua *prædicabilis*, tertium *univerſale* conſtituit.

V.

28. Triplicem poſtremo *ſpeciem* numerant Logici, *ſupremam*, *mediam*, & *infimam*. *Supremam* vocant, quæ *ſupremo generi* immediate ſubjicitur, ut *corpus*; *mediam*, quæ ſub *genere medio* poſita eſt, atque adeo quę ita eſt *ſpecies*, ut *generis* etiam rationem retineat, ſicuti *animal*; *infimam* vero, ſimulque *atomam*, & *ſpecialiſſimam*, quæ nullam ſub ſe continet *ſpeciem*, ſed tantum *individua*, ut *homo*.

VI.

29. Ex his apparet, *ſpeciem* tam *ſupremam*, quam *mediam* non habere rationem *ſpeciei*, niſi *ſubjicibilis*, atque adeo ad primum tantummodo *univerſale* utramque pertinere. Sola igitur *ſpecies infima*, ſive *prædicabilis*, ea eſt, quæ peculiare *ſpeciei* univerſale conſtituit, utpote quæ ſola ita eſt *ſpecies*, ut *generis* ratio illi prorſus repugnet.

SCHO-

SCHOLION I.

30. Ceterum, ut quæ de *genere*, *ſpecie*, & *differentia* dicta hactenus ſunt, altius animo inſigantur, Prophyrii arborem breviter conſiderandam ſubjicimus.

SUBSTANTIA

Corporeitas *Spiritualitas*

CORPUS

Vitalitas *Non vitalitas*

VIVENS

Animalitas *Non animalitas*

ANIMAL

Rationalitas *Irrationalitas*

HOMO

Petrus . *Paulus* . *Franciſcus*.

Tres itaque in ea lineæ diſtinguuntur. Quæ medium locum tenet, *rectam* vocant Scholaſtici; *collaterales*, quæ jacent utrinque. Linea recta continet *genera*, quæ humanæ ſpeciei præſunt. *Differentias* vero, quæ illis reſpondent, utraque collateralium linearum complectitur. Igitur in *linea recta* ad verticem occurrit ſupremum genus *ſubſtantia*, ſub quo immediate jacet *corpus*, deinde ponitur *vivens*, tum *animal*, poſtremo *homo*. Unde apparet, *corpus* eſſe ſpeciem ſupremam, medias *vivens*, & *animal*, infimam *hominem*; atque inſuper *corpus*, & *vivens* eſſe genera media, & *animal* infimum, cum ſub *animali* nonniſi atoma *hominis* ſpecies reperiatur. In *lineis* autem *collateralibus* ſummum locum tenent differentiæ ſupremæ, *corporeitas* ſcilicet, atque *ſpiritualitas*; medium occupant mediæ, nempe *vitalitas*, & *animalitas*, quibus ſubjicitur infima, ſcilicet *rationalitas*, quæ ſola *ſpecifica* differentia eſt; cum e contrario *differentiæ*, quæ ſuperiori loco occurrunt, *genericæ* ſint, & recte dicantur. Hinc etiam conſtat, *differentias* omnes eſſe *diviſivas*, ſi ad attributum immediate *ſuperius* in *linea recta*; eſſe vero *conſtitutivas*, ſi ad illud, quod

Digitized by Google

quod in eadem *linea* immediate inferius eſt, ſingulæ *reſpective* referantur. *Corporeitas* enim dividit *ſubſtantiam*, & conſtituit *corpus*; *vitalitas* dividit *corpus*, & conſtituit *vivens*; *animalitas* dividit *vivens*, & conſtituit *animal*; *rationalitas* dividit *animal*, & conſtituit *hominem*.

S C H O L I O N II.

31. Porphyrii arborem accuſant nonnulli, quod *ſpiritualis ſubſtantia* nulla prorſus mentio in ea fiat; neque viventia, quæ ratione deſtituta ſunt, exhibeantur. Eidem quoque vitio vertit nonnemo, quod in altera collateralium linearum differentiæ *negativa* ſint, *poſitiva* in altera. Verum utraque hæc criminatio injuſta plane eſt. Cum enim non fuerit Porphyrii mens, diviſionem *ſubſtantia* in hoc ſchemate tradere, ſed tantum eorum ſpecimen exhibere, ac veluti ante oculos ponere, quæ de *genere*, *ſpecie*, & *differentia* jam ipſe docuerat, neceſſe illi certe non fuit, omnium *generum*, *ſpecierumque* genealogiam, ut ita dicam, recenſere ac texere. Nihil quoque officit, *differentias* in collateralium linearum altera negativis vocibus deſignaſſe. Quandoquidem nemo eſt, qui neſciat, poſitivas rationes, etſi nobis plane ignotæ ſint, ſub illis terminis contineri.

De Proprio.

I.

32. Quadruplex eſt *proprium* apud Porphyrium. *Proprium primo modo* dicitur attributum, quod *ſoli ſpeciei convenit, ſed non omni*, ut eſſe Medicum. Licet enim Medicina hominibus tantum competat, non tamen quivis homo ea arte pollet. *Secundo modo* vocatur *proprium*, quod *accidit toti ſpeciei, ſed non ſoli*; ut duos habere pedes. Id quippe omnibus quidem hominibus convenit, ſed non illis tantum. *Tertio modo proprium* dicitur, quod *omni quidem, & ſoli ſpeciei accidit, ſed non ſemper*. Hac ratione *proprium* eſt homini caneſcere. *Quarto* demum *modo proprium* nuncupatur, quod *competit omni, ſolique ſpeciei, & quidem ſemper*. Sic *proprietas*, quæ homini competit *quarto modo*, eſt veri inquirendi inveſtigandique cupiditas.

I I.

33. *Proprium quarto modo* ſumtum, de quo dumtaxat hoc loco agendum occurrit, dividi ſolet in *genericum*, & *ſpecificum*. Primum dicitur, quod rebus competit ratione attributi *generici*. Secundum

Digitized by Google

dum, quod illis convenit ratione differentiæ *ſpecifica*. Sic *impenetrabilitas*, ut ajunt Scholæ, *generica* corporum *proprietas* eſt; quia illis ineſt, quatenus præciſe ſunt corpora, atque adeo licet *ſpecie* inter ſe differant. At veri inveſtigandi cupiditas eſt *proprietas* hominum *ſpecifica*, utpote illis conveniens, quia ratione donantur.

III.

34. Cum itaque plura convenire inter ſe mutuo optime poſſint penes *proprietatem* tum *genericam*, tum etiam *ſpecificam*, ideo *proprium* quartum univerſale conſtituit. Definitur propterea: *attributum pluribus numero, vel ſpecie differentibus commune, de quibus enuntiatur in quale neceſſario & reciproce*. Dicitur, *proprium enuntiari de pluribus in quale*, videlicet ſub ratione *attributi*, quod ad *eſſentiam* ſubjecti, de quo dicitur, minime ſpectat; unde patet diſcrimen hujuſce univerſalis a *genere*, *ſpecie*, & *differentia*. Hiſce ſiquidem modis ea attributa de ſubjecto dicuntur, quæ ſubjectum ipſum *eſſentialiter* conſtituunt. Dicitur: *neceſſario* & *reciproce*; quia fieri nequit, ut res priventur attributo, quod illarum proprium eſt; cumque ſolis ipſis rebus conveniat, proprietas ex re, reſque ipſa ex proprietate recte colligitur. Valet enim: *ſi homo eſt*, *ſermocinatur*; & viciſſim, *ſi ſermocinatur*, *eſt homo*.

De Accidente.

I.

35. Quamvis id omne, quod ad rei eſſentiam non pertinet, *accidens* dici poſſit, & ſæpe dicatur, quo ſenſu etiam *proprium* poteſt *accidens* nuncupari, hoc tamen loco *accidentis* nomine illud dumtaxat attributum intelligitur, *quod ita contingenter rei advenit, eique ineſt, ut ſeparari queat a re, deque ipſa negari, illius eſſentia incolumi prorſus exiſtente*. Sic doctrina in homine dicitur *accidens*, quia ſic homini advenit, per ſuam eſſentiam, atque intimas proprietates jam conſtituto, ut ea carere, penituſque privari homo poſſit, quin labes vel minima illius eſſentiæ inferatur. Sive porro hujuſcemodi attributum ſit aliquid per ſe conſiſtens, ſive non, perinde eſt. Sufficit enim, ut rei adveniat, deque ipſa enuntietur penitus *contingenter*. Et hinc patet diſcrimen *accidentis logici*, ſive *prædicabilis*, de quo loquimur modo, ab *accidente phyſico*, de quo ſuo loco agemus.

36. Quo-

II.

36. Quoniam itaque hujuſcemodi attributum pluribus poteſt eſſe commune, ut patet de doctrina, qua plures ſimul homines pollent, ideo *accidens* ſuum inter *prædicabilia* locum tenet, jureque ac merito inter *univerſalia* numeratur. Definitur ergo *accidens* hoc modo ſumtum: *attributum commune pluribus, de quibus enuntiatur in quale omnino contingenter*; videlicet tali ratione atque modo, ut de iiſdem, ſalva penitus eorum *eſſentia*, omnibuſque poſitis eorundem *proprietatibus*, negari poſſit.

III.

37. Porro cum plura differre queant inter ſe, non ſolum in *eſſentia*, verum etiam tum penes *proprietatem*, tum penes *accidens*, ideo triplex, auctore Porphyrio, *differentia* eſt, ſcilicet *communis*, *propria*, & *maxime propria*. Dicitur *communis* illa *differentia*, qua plura diſcriminantur penes *accidens*. Hoc modo differt homo *albus* a *nigro*. *Propria* vocatur, qua unum ab alio diſtinguitur ratione *proprietatis*, ut homo a belluis per *ſermocinationem*. Demum *maxime propria*, qua plura differunt in *eſſentia*, ut homo a belluis per *rationalitatem*. Hæc proinde facit *rem aliam*, hoc eſt, a rebus ceteris *natura* & *eſſentia* diſcrepantem. Illæ vero faciunt *rem alteram*, videlicet diverſam quidem, at non in *eſſentia*.

SECTIO TERTIA.

De veritate & falſitate, claritate & diſtinctione idearum.

I.

38. *Veritas cognitionis* eſt illius conformitas cum re cognita. *Verum eſt*, inquit S. Auguſtinus, *quod ita ſe habet, ut cognitori videtur, ſi velit poſſitque cognoſcere* (a). Igitur e contrario illud erit *falſo cognitum*, quod reipſa ſecus eſt, atque cognoſcenti videatur. Hinc *vera* erit idea, ſi res hujuſmodi fuerit, cujuſmodi in idea noſtra relucet. Erit vero *falſa*, ſi res non fuerit in ſe, ut in idea nobis apparet. *Veram* poſſe eſſe ideam, inficias ibit nemo, niſi de nomine litem movere velit. Num vero illa poſſit eſſe *falſa*, non eſt hujus loci inquirere. Id unum omnibus certum arbitror, ex male

(a) Lib. II. *Soliloq.* cap. 5.

Digitized by Google

perceptis rebus ea omnia oriri judicia, qua falſa, temerariaque dicuntur; ac proinde plurimum operæ curęque in eo a nobis eſſe ponendum, ut *veras* rerum *ideas* acquiramus.

I I.

39. *Clara* dicitur rei idea, ſi id in ipſa re plane percipiatur, in quod acies mentis noſtræ tota dirigitur. At contra *obſcura*, *ſi nihil, aut parum, quod in ea attenditur, apparet* (a). Obſcure nimirum percipitur res, cum neque omnino cognoſcitur, inſtar evidentis; neque omnino neſcitur, inſtar ignoti. Sic *clara* eſt notio, in qua relucet *triangulum*, ut figura plana tribus tantum lateribus undique terminata, treſque dumtaxat angulos continens; quippe non ſolum id cognoſcimus, quod cognoſcendum a nobis eſt, ut *triangulum* percipere dicamur, verum etiam ea ratione illud percipimus, ut in ipſa cognitione mens plane quieſcat. Contra vero *obſcura* eſt notio Dei, quam modo habemus; quia neque Deum per eam ita attingimus, ut hac una cognitione mens noſtra contenta ſit, neque Deum penitus ignoramus.

I I I.

40. Cavendum tamen eſt, ne *clara* rei notio cum cognitione ejuſdem *comprehenſiva* confundatur. Etſi enim omnis cognitio *comprehenſiva* ſit etiam *clara*, non proptera omnis cognitio *clara* pro *comprehenſiva* habenda eſt. Clare ſiquidem percipi poteſt res, quin omni plane modo, quo cognoſci *abſolute* poteſt, a nobis percipiatur.

I V.

41. *Diſtincta* dicitur notio rei, ſi ita nobis res ipſa in ea reluceat, ut a ceteris omnibus diſcernatur. Dicitur vero *confuſa*, ſi plura diverſa nobis in illa occurrant. Sic *diſtincta* eſt cognitio, qua hominem percipimus ſub ratione *animalis rationalis*: *confuſa* vero, qua nonniſi ut *animal*, ipſum attingimus. In illa quippe nobis occurrit homo, ut a ceteris diſcrepat; in hac vero, quatenus tantum cum aliis pluribus convenit, menti relucet. Exigit ergo *diſtincta* cognitio, ut diverſa rei attributa diſtinctis notionibus percipiantur; atque adeo ut mente veluti ſeparentur a ſe mutuo, quæ ſunt in objecto conjuncta. Itaque, ut clara diſtinctaque rei notio acquiratur, animadvertenda ſunt, quæ ſubjicimus.

Ani-

(a) S. Auguſtinus in *Logica* cap. 8.

Animadversio I.

42. *Unum dumtaxat objectum, non plura ſimul contemplari debemus.* Cum enim vis perceptiva non finita ſolum in nobis ſit, verum etiam tenebris undique circumfuſa, multiſque obſtaculis præpedita, rerum multitudine adeo illa opprimitur, ut ad eas diſtincte percipiendas incapax prorſus ſit, & plane inepta. Profecto non magis poteſt mens noſtra, ut ait Vir Cl., *pluribus rebus adeſſe per operationem ſimultaneam, quam poteſt corpus pluribus locis adæquatis ſimul adeſſe per coextenſionem. Sæpius tamen in plura objecta fertur curſu adeo præcipiti, ut plura etiam ſimul attigiſſe videatur. Inde autem maxima oritur idearum obſcuritas. Quod enim vulgo uſurpatur de ſenſibus*: pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus, *in mentem humanam etiam quadrat propter ejus ſinitudinem. Imo hæc mentis, plura objecta quaſi in tranſcurſu adſpicientis, inconſiderantia origo eſt confuſionis multiplicis. Tunc enim mens non ſatis diſtinguit varia objecta, quin plura in unum quaſi compingit, ipſa etiam corpora miſcet incorporeis* (a).

Animadversio II.

43. *In rebus conſiderandis cavenda ſummo ſtudio eſt præcipitatio mentis.* Neminem fugit, perperam ſemper a nobis percipi, quæ curſim ſpectantur. Non enim tanta mentis noſtræ vis eſt, non ea illius virtus, atque potentia, ut omnia valeat, quemadmodum ſunt in ſeipſis, uno ſimplici intuitu plane attingere. Solius Dei id proprium eſt, ſicuti illi ſoli competit mentis infinitas. Egregie propterea ſic olim ſcripſerat Tullis: *omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus; labi autem & errare, neſcire & decipi, malum & turpe ducimus. In hoc genere hoc vitium notandum eſt, ne incognita pro cognitis ſupponamus, hiſque temere aſſentiamur: quod vitium effugere, qui volet (omnes autem velle debent) adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam* (b). Id porro ut jucunde a nobis fiat, res, quas conſiderare volumus, proponendæ nobis ſunt, ut eximiæ, magnique momenti. Compertum quippe experientia cuique eſt, attentius nos ea contemplari, quæ magni facimus. Plurimum quoque juvabit, illud nobis cordi alte infigere, ignorantiam eſſe maximam peccati pœnam, nihilque ſapientia

(a) Chauvin *Lexic. Phil.* verbo *Perceptio*.
(b) Lib. I. *de Officiis* cap. 6.

tia ſuavius eſſe, amabilius, honorificentiuſque. Profecto *tepidus ille amor*, inquit Vir Cl., *quo veritatem proſequimur, nos efficit in vero a falſo diſcernendo plerumque minus ſollicitos. Apertis ulnis in ſinum admittimus promiſcuam ratiociniorum & axiomatum farraginem. Hæc malumus pro veris ſupponere, quam ad examen vocare. Si non capimus ipſi, credere volumus ab aliis capi, & ſic memoriam infinita rerum falſarum, obſcurarum, & non intellectarum ſuppellectile oneramus, e quibus, tamquam indubitatis principiis, concluſiones poſtea deducimus, nequaquam ad ea attendentes, quæ vel dicimus, vel cogitamus* (a).

ANIMADVERSIO III.

44. Cum in earum rerum conſideratione verſari debemus, quæ vel *ſpirituales* ſunt, vel ſenſuum organis, licet *corporeæ*, percipi haud poſſunt, *caveamus oportet, ne imaginem quamdam in cerebro ſibi mens noſtra efformet, in qua, perinde atque in ſpeculo, res ipſas expendat, meditetur, atque conſideret*. Hinc enim certo efficitur, ut non ſolum rerum toto cœlo diſſimilium proprietates, & attributa confundantur, verum etiam ut id earum uni plerumque tribuatur, quod illi prorſus repugnat.

ANIMADVERSIO IV.

45. *Cavendum quoque ſummo ſtudio eſt, ne res, quas, contemplamur, ideis noſtris ita accommodemus, ut perſuaſum nobis ſit, eas revera eſſe hujuſmodi, cujuſmodi in ipſis ideis eſſe videntur*. Nulla certe major pernicies accidere poteſt Philoſophiæ, quam quæ ex hac fingendi licentia in eam derivatur. Non enim res ab ideis noſtris, ſed ideæ a rebus ipſis dependent. Itaque ne in hoc vitium, quod ex mentis præcipitatione potiſſimum oritur, incauti labamur, neceſſe eſt, res non ſolum attente, verum etiam iterato ſæpius examine conſideremus. *Quod ſemel fecimus*, inquit Vir Cl., *id ſi iterare placeat, & facilius ſuccedet, & perfectius exibit, multoque magis, ſi ſæpius fuerit uſurpatum, adeo ut plura poſſimus eo ipſo, quod plura fecerimus, & plus poſſimus eo ipſo, quod plus egerimus. Conando igitur, agendo, atque noſmet excitando, intellectum comparamus capaciorem* (b).

ANI-

(a) Auctor *Artis cogitandi* Diſſert. I. *Proœm.*

(b) Petrus de Croſa P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 3.

Digitized by Google

ANIMADVERSIO V.

46. *Plurimum intereſt, rem, quam contemplamur, cum aliis jam cognitis conferre, eaſque comparare inter ſe, ſimul attente conſiderando, quid illis omnibus commune ſit, quidque ſingularum proprium.* Hoc enim modo ſi rerum conſideratio peragatur, clara diſtinctaque nobis erit ſingularum notio, quod nempe tunc diverſa earum attributa diſtinctis notionibus percipientur, idque nobis conſtabit aperte, per quod earum una a ceteris diſcrepat.

ANIMADVERSIO VI.

47. Quoniam idearum confuſio, atque obſcuritas ex eo potiſſimum oritur, quod rerum diſcrimen menti attendenti non ſatis pateat, & abſque certa lege & ordine cuncta ſeſe nobis ſpectanda exhibeant, *danda eſt opera, ut perceptiones noſtras præcedat idonea quadam rerum diverſarum in certas claſſes diſtributio, eaque omnia ad certa veluti ſuprema capita revocentur, quæ in una eademque re ſimul permixta menti conſideranti occurrunt.* Primo itaque generalem *entis* diviſionem; tum Ariſtotelis *categorias*, vulgo *prædicamenta*, trademus, eaque omnia, quantum Logico ſatis eſt, explicabimus. At vero, quoniam, ſi Quintiliano credimus, *qui recte diviſerit, nunquam poterit in rerum ordine errare* (a), nonnulla de *diviſione* in genere primo videamus, oportet.

SECTIO QUARTA.

Quid, & quotuplex ſit diviſio, quæque obſervanda ſint, ut recte fiat.

48. NOn eſt, cur de *diviſionis* utilitate in quavis tradenda arte, atque ſcientia plura verba faciam. Satis eſt enim dixiſſe, *diviſionem*, communi Philoſophorum calculo, *modum ſciendi* nuncupari.

I.

49. *Diviſio* itaque generatim ſumta non eſt, niſi *totius in ſuas partes diſtributio.* Hinc totuplex eſt *diviſio*, quotuplex eſt *totum*, quod poteſt dividi. Cum ergo *totum* aliud dicatur *potentiale*, aliud *eſſen-*

(a) Lib. XI. *Inſtit. Orator.* cap. 2.

tiale, *integrale* aliud, & aliud *accidentale*, ipſa itidem *diviſio* vel *potentialis* eſt, vel *eſſentialis*, vel *integralis*, vel *accidentalis*.

I I.

50. *Totum potentiale*, quod etiam *Logicum* vocari ſolet, dicitur attributum quodcumque univerſale, quod per *differentias* ad plura determinatur, ac in illa veluti diſtribuitur. Sic *animal* dicitur *totum* aliquod *potentiale*, quia per *rationalitatem*, & *irrationalitatem* in homines, atque belluas certo quodam modo dividitur. *Diviſio* ergo *potentialis* eſt diſtributio *ſuperioris* in *inferiora*, nimirum *generis* in *ſpecies*, & *ſpeciei* in *individua*.

I I I.

51. *Totum eſſentiale* vocatur id omne, cujus *natura*, ſive *eſſentia* ex pluribus intrinſecus coaleſcit. Sic homo dicitur *totum eſſentiale*, ſi ſpectetur, quatenus ex anima rationali, & organico corpore *eſſentialiter* conſtat. Hinc *diviſio eſſentialis* eſt partitio rei in eas partes, ſive principia, ex quibus res ipſa *eſſentialiter* componitur.

I V.

52. Quoniam vero duplex in rebus ſolet vulgo a Philoſophis compoſitio diſtingui, *phyſica* ſcilicet, & *metaphyſica*, *eſſentialis* quoque *diviſio* in *phyſicam*, & *metaphyſicam* diſtribuenda eſt. *Diviſio metaphyſica* eſt diſtributio rei in illa ejuſdem *eſſentialia attributa*, quæ mente dumtaxat comprehendi poſſunt, cujuſmodi ſunt *genus*, & *differentia*, ſive, loquendo de homine, *animalitas*, ut ajunt Scholaſtici, & *rationalitas*. *Diviſio* vero *phyſica* eſt partitio rei in ea *realia principia*, ex quibus res ipſa *eſſentialiter* coaleſcit, cujuſmodi in homine ſunt *anima rationalis*, & *corpus*, *plurimis diſſimilibuſque organis inſtructum*.

V.

53. *Totum integrale* vocatur illud, quod ex pluribus conſtat non ſolum extra ſe invicem poſitis, verum & ejus naturæ, ut illorum unum ab altero in exiſtendo nequaquam dependeat. Hujuſmodi autem partes, quæ *integrales* dici ſolent, vel ſunt *homogeneæ*, vel *heterogeneæ*. Prioris generis dicuntur illæ, quarum eadem natura eſt; poſterio-

Digitized by Google

ſterioris vero, quarum natura eſt diverſa. Sic ligni fruſta ſunt illius partes *integrales homogeneæ*. At vero *caput, brachia, oſſa, nervi, caro* &c. ſunt partes *integrales* humani corporis *heterogeneæ*. *Diviſio* igitur *integralis* eſt totius in ſuas *partes integrales* diſtributio, & quidem vel in partes *integrales homogeneas*, vel in partes *integrales heterogeneas*.

V I.

54. *Totum poſtremo accidentale* eſt id omne, quod ex *ſubjecto*, & *accidente* conſurgit. Voco autem *accidens*, quidquid *contingenter* advenit rei, eamque denominat, ut *doctrina* in homine, *albedo* in pariete, atque id genus alia. Triplex itaque *accidentalis diviſio* eſt. Vel enim dividitur *accidens* per *ſubjecta*, quibus reipſa ineſt, aut convenit; ut cum dividitur *bonum* in bonum *animæ*, & in bonum *corporis*. Vel dividitur *ſubjectum* per illa *accidentia*, quæ ipſi ineſſe poſſunt; ut cum ratione *albedinis*, & *nigredinis* dividitur *corpus* in *album*, & *nigrum*. Vel demum dividitur *totum accidentale* in *accidentalia*; ut cum diſtribuitur *album* in *dulce*, & *amarum*.

Regulæ optimæ diviſionis.

R E G U L A I.

55. *Diviſio ſit brevior, quo fieri poteſt*. Ut enim egregie advertit Seneca, *idem habet vitii nimia, quod nulla diviſio*; cum ſcilicet *ſimile ſit confuſo, quidquid in pulverem ſectum eſt* (a). Dividi ergo debet res, at non in partes minutulas, quæ mentis aciem fugiant. *Dividi enim illam, non concidi, utile eſt*, inquit idem Seneca. *Nam comprehendere, quemadmodum maxima, ita minima, difficile eſt. Quidquid in majus crevit, facilius agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes, quas, ut dixi, innumerabiles eſſe, & parvas, non oportet* (b).

R E G U L A II.

56. *Diviſio ſit adæquata*, talis nempe, ut membra *diviſionis* ſimul ſumta neque totum diviſum excedant, neque ab illo deficiant. *Obnitendum*, ut egregie monet Quintilianus, *ne quid in ea deſit, ne quid ſuperſit. Supereſt autem ſic fere, cum aut in ſpecies partimur, quod in genera partiri ſit ſatis; aut genere poſito, ſubjicitur ſpecies, ut: dicam de virtute, juſtitia, & continentia; cum juſtitia, atque continentia vir-*

(a) Epiſt. 90. (b) Ibidem.

tutis ſint ſpecies (a). Contra vero imperfecta eſt, ſive manca, diviſio *viventis* in *hominem*, atque *belluam*; cum ſcilicet etiam *plantæ* vita præditæ ſint, ac proinde ſub *vivente*, tamquam una illius ſpecies, ipſæ quoque conſiſtant.

Regula III.

57. *Membra diviſionis ſeſe mutuo excludant*, videlicet hujuſmodi ea ſint, ut illorum unum in altero minime contineatur. Ut enim egregie advertit Tullius, *vitioſum eſt in dividendo, partem in genere numerare* (b). Idem quippe bis tunc ſumitur, ſemel nempe *explicite*, & iterum *implicite*. Hujus ergo animadverſionis defectu peccat diviſio *animalis* in *ſenſitivum*, & *rationale*; cum *rationale*, ut eſt evidens, *ſenſitivum* complectatur. Nullum enim eſt animal, quod ratione præditum ſit, vique ſentiendi haudquaquam polleat.

Regula IV.

58. *Diviſio fiat in membra proximiora, ſive immediata*. Nimirum in omni *diviſione* ea primo numerentur, quæ ipſum totum *immediate* dividunt, vel conſtituunt; tum ea, quæ nonniſi *mediate* illud reſpiciunt. Sic diviſio *ſubſtantiæ* in *ſpiritualem*, & *corpoream* optima eſt; illegitima vero diviſio *viventis* in *hominem*, *belluam*, & *plantam*. Etenim *ſpiritualitas*, & *corporeitas*, ut cuique conſtat, *ſubſtantiæ* genus *immediate* diſtribuunt. At ſub *vivente* proxime jacet *animal*, una cum *plantis*, & ſub *animali*, veluti ſub genere proximo, *homo*, & *bellua* continentur.

SECTIO QUINTA.

Generalis entis realis diviſio breviter explicatur.

I.

59. ENs *reale* id omne dicitur, cui non repugnat eſſe, ſeu quod nullam terminorum pugnam ſua in *eſſentia* involvit. Hinc notio *entis* maxime univerſalis eſt, & apprime confuſa. Omnia enim, quæ ſunt, vel poſſunt eſſe, id habent commune, ut ſint *ens*; atque in hac ratione ita conveniunt, ut, ſi penes illam dumtaxat percipiantur, etſi quammaxime diverſa ſint, nullum prorſus diſcrimen, diſſimilitudo nulla inter ipſa appareat.

60. Pri-

(a) Lib. IV. *Inſtitut. Oratoriarum* cap. 5. (b) Lib. II. *de Finibus* cap. 9.

Digitized by Google

II.

60. Prima porro, ſive immediata *realis entis* diviſio eſt in *ſubſtantiam*, & *accidens*, ſive, ut Recentiores ajunt, in *rem*, & *modum*. Dicitur *ſubſtantia*, quidquid alio non indiget, in quo ſit, ut exiſtat. *Accidens* vero, ſeu *modus*, id omne vocatur, quod nequit exiſtere, niſi in alio ſit, & quidem ea ratione, ut illud determinet, certoque modo afficiat. *Subſtantia* igitur ſunt *Deus*, *homo*, *bellua* &c. At vero *accidentia*, ſive *modi*, *albedo*, *figura*, *ſapor* &c.

Diviſio ſubſtantiæ.

I.

61. *Subſtantia* dividitur primo in *ſpiritualem*, & *corpoream*. Quod enim eſt, inquit Seneca, *aut corporale eſt*, *aut incorporale*, (a). *Spiritualis* dicitur ſubſtantia, quæ natura ſua vi cogitandi donata eſt, eaque pollet intrinſecus, ut *anima rationalis*. *Corporea* vero, ſeu *materialis*, quæ tactui natura ſua reſiſtit, reque ipſa, ſive quoad ſuam *entitatem*, ut Scholæ ajunt, *extenſa* eſt, ut *lignum*, *lapis*, aliaque id genus plurima.

S C H O L I O N.

62. Fateor, diviſionem ſubſtantiæ in *cogitantem*, & *extenſam* non eſſe idoneam, niſi perſpicuum primo fiat, *cogitandi vim* cum *entitativa extenſione* componi in eadem re nequaquam poſſe. Verum cum hujuſcemodi inquiſitio ad Metaphyſicum pertineat, id modo nobis pro comperto ſit, præſertim cum jam doctiſſimi quique hac in re uno ore conſentiant.

II.

63. *Subſtantia ſpiritualis* vel eſt ſumme perfecta & omnino independens; vel eſt imperfecta, finita ſcilicet, omnique in genere limitibus circumſcripta. Prima una eſt, eaque dicitur DEUS. Secunda eſt duplex. Altera enim eſt natura ſua completa, & vocatur *angelus*. Altera vero ex ſe incompleta eſt, & hominem conſtituit; unde *anima rationalis* nuncupatur.

64. *Sub-*

(a) Epiſt. 59.

III.

64. *Subſtantia corporea*, ſive *corpus* dividitur in *ſimplex*, & *compoſitum*. *Simplex* eſt, quod ex pluribus *natura* diſſimilibus intrinſecus non coaleſcit. *Compoſitum* vero, quod ex pluribus diverſæ rationis intrinſecus conſtat.

IV.

65. *Corpus compoſitum* diſtribui ſolet in *vivens*, & *non vivens*, ſive in *animatum*, & *inanimum*. *Inanimum*, ut ait Tullius, *eſt omne, quod pulſu agitatur externo. Quod autem eſt animatum, id motu cietur interiore & ſuo* (a).

V.

66. *Corpus vivens* vel eſt præditum principio motus progreſſivi, vel hujuſcemodi principio deſtitutum eſt. Hoc dicitur *planta*, cujus innumeræ plane ſunt ſpecies. Illud vero *animal* nuncupatur. *Animal* aut eſt *rationis particeps*, & dicitur *homo*; aut ratione caret, & *bellua* vocatur. *Homo* nonniſi *individua* ſub ſe continet; at *bellua* plures *ſpecies*, ut omnibus notum eſt, comprehendit.


SCHOLION.

67. Non convenit inter omnes, *ens reale* primo dividi in *ſubſtantiam*, & *accidens*, abſurdum ſcilicet pleriſque arbitrantibus, Deum ſub genere *ſubſtantiæ* collocari. Verum, cum ratio *ſubſtantiæ*, perinde ac ratio *entis*, a *finitate*, & *infinitate*, illorum ſententia, præſcindat, aut neque ſub ratione *entis* Deus ſtatuendus eſt, aut etiam ſub ratione *ſubſtantiæ* ille conſtitui ſine piaculo poteſt. Sed hac de re alibi fuſius. Interim eam *ſubſtantiæ* diviſionem breviter conſiderare ne pigeat, quam tradit Cl. Purchotius. Illud enim conſideratione dignum quammaxime in ea eſt, quod *homo* medium inter *ſpiritum*, atque *corpus* locum teneat, ſicuti ex utroque ille vere componitur. Infert propterea Vir Cl., nullum, proprie loquendo, haberi *genus*, diverſum ab attributo *ſubſtantiæ*, ſub quo *homo* conſtitui jure ac merito poſſit. Cum enim, ait, *corpus dicitur illius genus, id quidem concedi poteſt, ſi comparetur cum reliquis corporibus; ſed per hoc ipſum a ſpiritibus diſcrepat. Viciſſim, ſi mens appelletur, id ipſi cum ſpiritibus commune eſt, ſed per hoc differt a rebus plane corporeis*. Nullam quoque aſſignari poſſe contendit completam differentiam, *qua ab omnibus*

(a) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 23.

Digitized by Google

…viſio Entis Purchotiana.



In Logica pag. 26.

bus prorſus entibus, tum corporeis, tum ſpiritualibus ſecernatur, niſi utramque naturam, tum ſpiritualem, tum corpoream participare affirmetur (a). At vero, quemadmodum hoc recte ab eo obſervatum arbitror, ita minime illi dandum puto, plane idoneam eſſe *ſubſtantiæ* diviſionem, quam tradit. Peccare quippe illa in eo videtur, quod *corpus* in *vivens*, & *non vivens* immediate diſcretum exhibeat. Illud enim primo dividendum eſt *in ſimplex*, & *compoſitum*; tum *corpus compoſitum* in *vivens*, & *non vivens*; cum nullum ſit corpus vita donatum, quod ex pluribus *natura* diverſis intrinſecus non coaleſcat.

Diviſio Accidentis.

I.

68. Quemadmodum omnis *ſubſtantia* vel *ſpiritualis* eſt, vel *corporea*, ita omne *accidens* vel eſt hujuſmodi, ut *ſubſtantiam ſpiritualem*, vel eſt tale, ut *materialem ſubſtantiam* afficiat. Illud ergo *ſpirituale*, hoc vero *materiale*, ſive *corporeum*, nuncupatur.

I I.

69. *Accidens* tam *ſpirituale*, quam *corporeum* dividitur a Scholaſticis in *abſolutum*, & *reſpectivum*. *Abſolutum* vocant, quod concipitur in ſubjecto, quin neceſſe ſit, ſubjectum ipſum ad aliud referre, cujuſmodi ſunt *colores*, *ſapores*, aliaque id genus plurima. Contra vero *reſpectivum* appellant, quod in ſubjecto concipi haud poteſt, quin ipſum ſubjectum cum altero comparetur, atque ad illud referatur, ut *ſimilitudo*, *æqualitas* &c.

I I I.

70. *Accidens abſolutum* diſtribui ab iiſdem ſolet in *modale*, & *non modale*. *Accidens modale*, ſive *rei modus*, id omne, eorum ſententia, eſt, quod ita dependet a ſubjecto, quod afficit, ut nec eſſe, neque concipi poſſit, quin in ipſo ſubjecto exiſtat, atque in illo concipiatur. Sic *rotunditas* eſt *modus* corporis; cum percipi minime poſſit *rotunditas*, quin corpus, ſive ſubjectum, in quo illa ſit, mens quoque concipiat. *Accidens* vero *abſolutum non modale* vocant illud, quod non ſolum percipi a nobis poteſt independenter a ſubjecto, ve-

(a) P. I. *Logicæ* cap. 5.

verum etiam poteſt, Divina virtute, reipſa exiſtere, quin ſubjectum afficiat. Hujuſmodi eſſe arbitrantur *colores*, *ſapores*, *odores*, aliaſque corporum affectiones. At quonam jure id aſſerant, ex nuper a me edita *de ſenſibilibus corporum qualitatibus* Phyſico-Theologica Diſſertatione ſatis patere puto.

I V.

71. Aliter itaque hac ſuper re philoſophantur Recentiores. Hi namque, cum dividant omne, quod eſt, in *rem*, & *modum*, nonniſi *modalia accidentia* agnoſcunt, eaque, loquendo de corporeis, in *primaria*, & *ſecundaria* diſtribuunt. *Primaria* vocant, ex quibus alia, quæ in corporibus ſunt, *accidentia* proveniunt. *Secundaria* vero, quæ ex *primariis* derivantur. *Primaria* ſunt *magnitudo*, *figura*, *motus*, *quies*, & *ſitus*. *Magnitudo* eſt certa determinataque corporis extenſio. *Figura* eſt extenſio ſecundum plures dimenſiones undique terminata. *Motus* eſt translatio corporis de uno loco in alterum. *Quies* eſt permanſio corporis in eodem loco. *Situs* eſt artificioſa partium diſpoſitio in toto. *Accidentia ſecundaria* in quinque claſſes pro numero ſenſuum externorum, qui affici ab illis ſolent, diſtribuuntur. Sunt ergo *colores*, *ſapores*, *odores*, *ſonus*, & *qualitates tactiles*, *calor* ſcilicet, *frigus* &c.

V.

72. *Modi* poſtremo alii ſunt *poſitivi*, & alii *negativi*. Prioris generis dicuntur illi, qui realem aliquam ſubjecti perfectionem exprimunt; poſterioris vero, qui negationem perfectionis in ſubjecto deſignant. Sic *extenſio*, *figura*, atque *ſapientia* ſunt *modi poſitivi*; contra vero *negativi ignorantia*, *cæcitas*, *tenebræ*, aliique id genus plurimi. Animadvertendum tamen eſt, non omnes *modos*, qui negativis nominibus exprimuntur, eſſe *negativos*. Plerique enim *poſitivi* ſunt, quamvis nominibus negativis deſignentur. Id enim ex eo provenit, quod non quid illi reipſa ſint, ſed quid non ſint, nobis tantum innoteſcat. Hujuſmodi itaque ſunt *infinitas*, *immenſitas*, *aſſeitas*, *immortalitas*, &c.

SE-

SECTIO SEXTA.

De Ariſtotelis categoriis, vulgo prædicamentis.

73. CAtegoria eſt ordinata quædam eorum attributorum ſeries, quæ de ſubſtantiæ individuo enuntiari a nobis poſſunt. *Prædicamenta* propterea hæc vocari etiam ſolent, quod ſcilicet unum prædicari de alio apud Logicos, perinde fit, ac unum de alio dici; unde patet diſcrimen maximum *prædicamentorum* a *prædicabilibus*. *Prædicabilia* namque nonniſi *modum* deſignant, quo attributum enuntiari poteſt de ſubjecto. At vero *prædicamenta* exprimunt attributa ipſa, quæ enuntiantur. Archytas Tarentinus, ut, Boethio teſte, quorundam fuit opinio, omnium primus numerum, atque nomen *prædicamentorum* excogitavit, deque illis libellum contexuit. *Archytas*, inquit ille, *duos compoſuit libros, quorum in primo hæc decem prædicamenta diſpoſuit. Unde poſteriores quidam, non eſſe Ariſtotelem hujus diviſionis inventorem, ſuſpicati ſunt, quod Pythagoricus vir eadem ſcripſiſſet: in qua ſententia Jamblycus Philoſophus eſt non ignobilis, cui non conſentit Themiſtius; neque concedit, eum fuiſſe Archytam, qui Pythagoricus, Tarentinuſque eſſet, quique cum Platone aliquantulum vixiſſet, ſed Peripateticum aliquem Archytam, qui novo operi auctoritatem vetuſtate nominis conderet* (a). Alii tamen ejuſmodi inventum Ariſtoteli acceptum referunt. Verum, utut de auctore res ſit, illud pro certo habemus, decem *prædicamenta* ab Ariſtotele, cui omnes adſtipulantur Scholaſtici, numerari, videlicet *ſubſtantiam*, *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, *actionem*, *paſſionem*, *ubi*, *quando*, *ſitum*, & *habitum*.

Subſtantia.

74. *Subſtantiæ* nomine, mea quidem ſententia, hic non intelligitur *ens per ſe exiſtens*, atque adeo id, quod in *entis* diviſione *accidenti* opponitur, ſed *ſpecifica natura*, ſive *eſſentia* individui ſubſtantialis, cujus attributa in hac ſerie recenſentur & explicantur. *Prædicamentalem* idcirco *ſubſtantiam* definiendam puto: *id, quod reſpondetur quærenti, quid eſſentialiter ſit res quævis individua*, ſeu, quid ſit illud ſubjectum *nobis ignotum*, ut Recentior quidam ait apud Cl. Facciolatum (b), *in quo ſunt affectiones & proprietates nobis notæ*. *Eſſentia* enim rei cu-

(a) Præf. in Lib. I. *Prædicamentorum*.
(b) *Inſtit. Logicæ* P. II. cap. 2.

cujuſcunque, ut dicemus in Metaphyſica, eſt primum, quod de re quæritur, omniumque attributorum, quæ in ipſa re nobis patent, deque ea dici poſſunt, ſubjectum, principium, atque origo. Dividitur porro *ſubſtantia* ab Ariſtotele *in primam*, & *ſecundam*. *Primam* vocat *ſubſtantiam individuam*, ſive *ſingularem*. *Secundam* vero eandem ipſam ſubſtantiam appellat, quatenus eſt *attributum eſſentiale*, in quo plura ſolo numero diverſa inter ſe plane conſentiunt.

Proprietates ſubſtantiæ prædicamentalis

I.

75. Plures proprietates *prædicamentalis ſubſtantiæ* numerant Scholaſtici ex Ariſtotele. Præcipuæ autem ſunt, primo: *non habere contrarium* proprie loquendo. Ut enim ſuo loco explicabitur, *contraria* dicuntur, quæ ab eodem ſubjecto ſeſe mutuo expellunt. Cum ergo *eſſentia* individui ſit primum in re, atque adeo ſubjectum non habeat, in quo recipiatur, nequit habere contrarium. Poteſt tamen una *ſubſtantia* dici alteri *contraria* ratione *qualitatum*, quibus affecta eſt. Sic *aqua*, & *ignis* ratione *caloris*, & *frigoris*, *humiditatis*, & *ſiccitatis*, quibus donata ſunt, ſibi mutuo adverſantur.

I I.

76. Secundo: *eſſe ſubjectum contrariorum*, earum ſcilicet *affectionum*, ſive *qualitatum*, quæ ab eodem ſubjecto ſeſe mutuo expellunt. Individui enim *eſſentia* eſt id, in quo, tamquam in ſubjecto, omnes illius *affectiones* recipiuntur.

I I I.

77. Poſtremo: *non ſuſcipere magis, & minus*. Unus enim homo non eſt magis homo, quam alter, quamvis, ſi penes illa attributa, quæ ad hominis *eſſentiam* non pertinent, ſpectetur, unus altero perfectior reipſa ſit, vel eſſe poſſit.

Quantitas.

78. *Quantitas* in genere eſt illud attributum, penes quod duo, ſi inter ſe mutuo comparentur, *æqualia*, vel *inæqualia* dici ſolent. Plures

res idcirco ſunt ſpecies *quantitatis*, cum plura ſint attributa, ex quibus duorum *æqualitas*, & *inæqualitas* repeti poſſunt. Prima itaque dicitur *quantitas perfectionis*, eaque iis omnibus competit, quibus, ut ait S. Auguſtinus, idem omnino eſt, *eſſe majus*, *quod eſſe perfectius* (a). Secunda eſt *quantitas virtutis*, nempe major, minorve extenſio activæ potentiæ; ut cum dicimus, Solis vim in ſublunaribus excedere virtutem illam, qua in iiſdem corporibus aſtra quæque donantur. Fortius enim ille agit, atque ad longè plura, quam aliud quodvis aſtrum, virtute ſua ſeſe extendit. Tertia eſt *quantitas molis*, ſive *magnitudinis*, nimirum *entitativa* corporum *extenſio*. Quarta eſt *quantitas diſcreta*, ſive *numerica*, vel *multitudinis*. Dicuntur autem *multa*, quæ a ſe mutuo ſejuncta reipſa ſunt, vel ut ſeparata ſpectantur. Hoc tamen loco nonniſi duæ poſtremæ *quantitatis* ſpecies, *multitudinis* ſcilicet, atque *molis*, intelliguntur.

Proprietates quantitatis.

I.

79. Prima ſimulque præcipua *quantitatis* proprietas eſt, *eſſe fundamentum æqualitatis*, *& inæqualitatis*. Etenim nonniſi ratione *quantitatis*, ut patet, duo inter ſe *æqualia*, vel *inæqualia* dicuntur.

II.

80. Secunda: *non habere contrarium*. Nullum enim eſt attributum, quod *quantitati* adeo contrarium ſit, ut a ſubjecto, quod afficit, illam expellat.

III.

81. Poſtrema: *non ſuſcipere magis & minus*. Unum quippe non dicitur *magis quantum* altero, ſed *majus*.

Qualitas.

82. *Qualitas* hic non ſumitur pro omni illo attributo, quod enuntiatur de re, cum quæritur, *qualis res ipſa ſit* (hoc enim ſenſu etiam *differentia eſſentialis* poteſt *qualitas* nuncupari), ſed illud dumtaxat attributum, *qualitatis* nomine, intelligitur, ratione cujus duo *accidenta-*

(a) Lib. VI. *de Trinit.* cap. 8.

Digitized by Google

taliter ſibi mutuo *ſimilia* ſunt, vel *diſſimilia*. Dividitur autem *qualitas* ab Ariſtotele primo in *habitum*, & *diſpoſitionem*. Secundo in *naturalem potentiam*, & *naturalem impotentiam*. Tertio in *paſſionem*, & *patibilem qualitatem*. Poſtremo in *formam*, & *figuram*.

I.

83. *Habitus* eſt firma facilitas agendi, activę potentiæ ſuperaddita. *Diſpoſitio* vero non eſt, niſi proclivitas quædam potentiæ ad agendum. Hinc *diſpoſitio* non differt natura ab *habitu*, ſed tantum gradu, ut jure proinde *inchoatus habitus* vocari illa poſſit. Porro *habitus* vel *acquiſitus* eſt, vel *infuſus*. Prior ex Tullio eſt *conſtans & abſoluta animi, aut corporis aliqua in re perfectio, non natura data, ſed ſtudio induſtriaque parta* (a). Poſterior vero is eſt, qui actum omnem præcedit.

I I.

84. *Naturalis potentia* eſt vis naturaliter nobis inſita, qua operamur, vel contrariis reſiſtimus, ut ingenii acumen in homine, durities in lapide &c. Contra vero *naturalis impotentia* eſt carentia virtutis ad agendum, vel ad reſiſtendum contrariis.

I I I.

85. *Patibilis qualitas* eſt affectio ſenſibilis firmiter inhærens ſubjecto, ut *albedo* in cycno, *nigredo* in corvo &c. *Paſſio* eſt affectio itidem ſenſibilis a ſubjecto cito tranſiens, ut *rubor* in vultu ortus ex verecundia, & *pallor* ex ſubito timore proveniens.

I V.

86. *Forma*, ſive *pulchritudo eſt apta figura membrorum cum coloris quadam ſuavitate* (b). *Figura* vero eſt terminus, quo corpus undique circumſcribitur.

Proprietates qualitatis.

I.

87. Tres ſunt proprietates *qualitatis*. Prima: *eſſe fundamentum acci-*

(a) Lib. IV. *qq. Tuſcul.* cap. 12.

(b) Tullius ibidem cap. 13.

Digitized by Google

accidentalis ſimilitudinis, *& diſſimilitudinis*, ſicuti *quantitas* eſt fundamentum *æqualitatis*, & *inæqualitatis*.

I I.

88. Secunda: *habere contrarium*, videlicet eſſe hujuſmodi, ut ex eodem ſubjecto una ab alia expelli poſſit.

I I I.

89. Tertia: *poſſe intendi*, *& remitti*, ſive, ut ajunt Scholæ, *ſuſcipere magis*, *& minus*. Id tamen non omnibus *qualitatibus* commune eſt. Nam unus circulus non eſt magis circulus, quam alter, & tamen figura unam *qualitatis* ſpeciem, ut patet, conſtituit.

Relatio.

90. *Relatio* eſt ordo unius ad aliud. Dividitur in *realem*, & *rationis*. Prior eſt illa, quæ datur inter duo, quin intellectus noſter eorum unum ad alterum referat: ut *æqualitas* inter duo ligna palmaris longitudinis. Poſterior vero ea eſt, quæ ab intellectu, duo inter ſe mutuo comparante, dependet; ut cum mens noſtra ordinem inter aliqua conſtituit, unumque alio *prius*, alioque *poſterius* ipſa denominat. *Relatio realis* duplex itidem eſt, quarum una *intrinſecus adveniens*, altera *extrinſecus adveniens* nuncupatur. *Relatio intrinſecus adveniens* dicitur illa, quæ conſurgit inter extrema, ſtatim ac in rerum natura poſita ſunt, ut *ſimilitudo* inter duo alba. *Relatio* vero *extrinſecus adveniens* vocari illa ſolet, quæ ab externa aliqua conditione, ut inter extrema reſultet, neceſſario dependet. Hujuſmodi eſt *relatio* agentis ad paſſum; hæc quippe exigit, ut prius certa quædam agens inter atque ipſum paſſum ponatur approximatio. In omni porro *relatione* quatuor, Scholaſticorum ſententia, diſtinguenda occurrunt, *ſubjectum* ſcilicet, ſive id, quod ad aliud refertur: *terminus*, ſeu id, cui *ſubjectum* comparatur: *fundamentum*, ſive *ratio*, penes quam illa duo inter ſe mutuo conferuntur: & ipſa *relatio*, ſive ipſorum terminorum *ordo*. Sic in relatione *ſimilitudinis*, quæ habetur inter duo alba A, B, album A eſt *ſubjectum*, album B eſt *terminus*, *albedo* eſt *fundamentum*, & *ſimilitudo* eſt ipſa *relatio*.

Proprietates relationis.

I.

91. Prima eſt : *relata dici ad convertentiam*. Valet enim, ſi album A eſt *ſimile* albo B, etiam album B eſt *ſimile* albo A

II.

92. Secunda: *relata eſſe ſimul tempore, atque natura*. Nam, uno *relatorum* poſito, alterum itidem ponitur, & uno ſublato, alterum quoque tollitur; unde nequit eſſe *Pater*, quin habeatur *Filius*, & viciſſim.

III.

93. Tertia: *eſſe ſimul cognitione*. Patet ex natura *relationis*. Cum enim *relatio* dicatur de re, quatenus ad aliam ipſa refertur, cognoſci unum *relatorum* non poteſt, quin alterum quoque cognoſcatur.

Actio, & Paſſio.

94. *Actio* eſt id, quo cauſa *actu agens* dicitur. Id vero *paſſio*, quo ſubjectum *actu patiens* denominatur. *Actionem* eſſe aliud a vi activa cauſæ, & *paſſionem* aliud a potentia paſſiva ſubjecti, nemini dubium eſt, experientia demonſtrante, extare poſſe cauſam, quinimo extare reipſa, quin actu agat, quemadmodum etiam ſubjectum, quin actu patiatur, quamvis cauſa etiam tunc vi agendi polleat, & ſubjectum vi paſſiva donetur. *Actio* itaque, & *paſſio* ſunt *relationes*, & quidem *extrinſecus advenientes*; cum ſcilicet ad eas habendas ſatis nequaquam ſit, ut cauſa, & ſubjectum exiſtant, ſed conditio, extrinſecus ponenda, neceſſario requiratur.

Proprietates actionis, & paſſionis.

I.

95. Duæ ſunt proprietates *actionis*, & *paſſionis*, quas Ariſtoteles commemorat. Prima eſt : *habere contrarium*. Sic *calefactio* dicitur actio *frigefactioni* oppoſita. Verum, cum *calefactio* non adverſetur *fri-*

Digitized by Google

frigefactioni, niſi ratione formarum, *caloris* ſcilicet, atque *frigoris*, quæ per eas in ſubjecto producuntur, patet, quonam ſenſu verum ſit, *actionem*, & *paſſionem* contrarie ſibi mutuo adverſari.

II.

96. Secunda eſt: *poſſe intendi*, & *remitti*. Sic *actio*, qua ignis lignum comburit, intenſior validiorque ea eſt, qua illud tantum exſiccat. Verum nec iſta quidem proprietas *per ſe* convenit *actioni*, ſed illi competit ratione dumtaxat *principii*, ſeu *virtutis*, qua cauſa operatur, & effectum producit.

Ubi, Quando, Situs, & Habitus.

97. *Ubi* eſt relatio rei ad locum. *Quando* eſt reſpectus quidam ejuſdem rei ad tempus. *Situs* eſt diſpoſitio partium in loco, ut *ſedere*, *ſtare*, &c. *Habitus* eſt comparatio rei ad veſtem. At de his pluſquam ſatis.

S C H O L I O N I.

98. Dixi: *prædicamenta ſeriem eſſe attributorum, quæ de ſubſtantiali individuo quæri poſſunt, deque illo enuntiari*. Nunquam enim eo adduci poteram, ut arbitrarer, Ariſtotelis *categorias* eſſe coordinationem *generum*, & *ſpecierum*, quæ ſub genere ſupremo *entis* continentur; atque adeo naturalem *entis* diviſionem in illis, ut vulgo creditur, exhiberi. Hæc enim *entis* diviſio illegitima prorſus eſſet. Etenim *primo*: inter *ens*, & *novem* ultima *prædicamenta* datur *accidens*. *Secundo*: quia, cum *quantitas*, & *qualitas* ſint *accidentia abſoluta*, cetera vero ſint attributa *relativa*, atque inſuper horum aliqua ſint *intrinſecus advenientia*, & alia *extrinſecus advenientia*, primo dividendum fuiſſet *accidens* in *abſolutum*, & *reſpectivum*, tum *accidens reſpectivum* in *intrinſecus adveniens*, & in *extrinſecus adveniens*, antequam illa recenſerentur. *Tertio*: quia nulla hic traditur diviſio *ſubſtantiæ*, ſicuti nec *quantitatis*, & *qualitatis*, quamvis *ſubſtantia* ſit *ens* nobilius *accidente*, & *accidens abſolutum* præſtantius ſit *reſpectivo*. *Poſtremo*: quia diviſio *ſubſtantiæ* in *primam*, & *ſecundam* non eſt diviſio *ſuperioris* in *inferiora*, neque iſta membra ſeſe mutuo excludunt, quemadmodum legitima diviſio poſtulat (§. 57.). Accedit, rationem, qua denarius *prædicamentorum* numerus demonſtrari vulgo ſolet, noſtram potius hac de re, quam Scholaſticorum, ſententiam evincere. Ajunt enim, decem eſſe

prædicamenta, quia decem ſunt, quæ de *individuo*, puta de Petro, quæri poſſunt. Nam poteſt, inquiunt, de illo quæri primo: *quid ſit*, & ecce, dicunt, *ſubſtantia*. Secundo: *quantus ſit*, & ecce *quantitas*. Tertio: *qualis ſit*, & ecce *qualitas*. Quarto: utrum ſit *Pater*, an *Filius Dominus*, an *Servus*, & ecce *relatio*. Quinto: *an aliquid operetur*, & ecce *actio*. Sexto: *num aliquid patiatur*, & ecce *paſſio*. Septimo: *quo in loco conſiſtat*, & ecce *ubi*. Octavo *quo tempore ortum duxerit*, ecce *quando*. Nono: *quomodo ſit in loco*, & ecce *ſitus*. Poſtremo: *qualiter ſit indutus*, & ecce *habitus*. An porro iſta ratio idonea ſit ad diviſionem *entis* oſtendendam, ipſi viderint Scholaſtici.

S C H O L I O N II.

99. Quemadmodum *prædicamentale* dicitur id omne, quod ſub uno aliquo decem modorum, qui hactenus numerati ſunt, continetur, ita *tranſcendentale* contraria ratione illud omne vocatur, quod hanc *prædicamentorum* ſeriem plane exſuperat, ſimulque pluribus convenire ex æquo poteſt. Sic *tranſcendentalia* ſunt attributa *entis*, *unius*, *veri* &c. propterea nimirum quia non minus *ſubſtantia*, quam *accidens* ſit *ens*, omnia ex æquo ſint *unum*, ſingula ſint *vera* &c.

SECTIO SEPTIMA.

De attributorum oppoſitione.

100. ATtributorum *oppoſitio*, quæ *incomplexa* etiam dicitur, ut ab *oppoſitione* propoſitionum, quam *complexam* vocant Logici, diſcernatur, eſt incompoſſibilitas duorum attributorum in eodem ſubjecto. Dividitur in *poſitivam*, & *negativam*. Prior eſt illa, quæ inter attributa *poſitiva*; poſterior vero, quæ inter attributa, quorum unum *negatio alterius* eſt, verſatur. Utraque dividi inſuper ſolet bifariam, ſcilicet *poſitiva* in *contrariam*, & *relativam*; *negativa* in *contradictoriam*, & *privativam*.

Oppoſitio contraria.

101. Attributa *contrarie oppoſita* dicuntur illa, *quæ ſub eodem genere poſita, maxime inter ſe diſtant, eidem ſuſceptivo viciſſim inſunt, a quo ſeſe mutuo expellunt, niſi eorum alterum inſit a natura*. Videlicet, ut duo attributa ſibi mutuo *contrarie* adverſari dici poſſint, requiritur

tur primo, ut ſint *ſub eodem genere*, nimirum vel *proximo*, vel *remoto*. Sic *albedo*, & *nigredo*, quæ ſunt *qualitates contrariæ*, continentur ſub eodem genere proximo *coloris*; quemadmodum *juſtitia*, & *injuſtitia*, quæ *contrariæ qualitates* itidem ſunt, ſub eodem remoto *qualitatis* genere reperiuntur. Hinc nulla eſt *contraria oppoſitio*, niſi uterque terminus ſit aliquod *poſitivum*; quippe ſi ſecus, idem genus haudquaquam dividerent. Requiritur ſecundo, ut *maxime diſtent inter ſe*. Videlicet *contrarie* non opponuntur attributa, niſi tanta ſit eorum diſſimilitudo, ut par in rebus aliis ſub eodem genere poſitis inveniri minime poſſit. Hujuſce proinde conditionis defectu, *frigus*, & *tepor* non ſunt *qualitates contrariæ*; quia *tepor*, præter genericam *tactilis qualitatis* rationem, aliquid de *frigore* participat. Requiritur tertio, ut *eidem ſuſceptivo* nonniſi *viciſſim* inſint. Si namque in eodem ſubjecto ſimul poſſent conſiſtere, non eſſent incompoſſibilia, atque adeo minime inter ſe oppoſita. Nulla idcirco inter ſubſtantias vera contrarietas eſt; cum ſubjecto ineſſe illis prorſus repugnet. Hinc requiritur poſtremo, ut *ab eodem ſubjecto ſeſe mutuo expellant*, *ſalva ſubjecti eſſentia*, *niſi tamen eorum alterum inſit a natura*; quia tunc nequit a ſubjecto expelli, quin ſubjectum ipſum pereat, ut patet de *albedine* in lacte, quæ deſtrui in eo non poteſt, quin illud corrumpatur.

Lex contrarie oppoſitorum.

102. *Inter contrarie oppoſita datur medium*, *quod utrumque excludit*, *nec raro quod de utroque participat*. Cum enim ſubjectum poſſit ſucceſſive *contraria* recipere, quin *eſſentialiter* deſtruatur, neutrum illorum ad ſubjecti *eſſentiam* pertinet; neque ulla in eo contradictio eſt, ut ſubjectum utroque ſimul extremo careat, quemadmodum patet de ligno, quod natura ſua neque *album* eſt, neque *nigrum*. Itaque inter *contrarie oppoſita* exſtat medium, quod utrumque *contrarium* excludit. Medium quoque plerumque datur inter *contraria*, quod aliquid de utriſque participat. Sic *tepor* aliquid continet *caloris*, & aliquid *frigoris*, ſicuti etiam *color flavus* aliquid *albedinis*, & aliquid *nigredinis*, ut docent Phyſici, comprehendit.

Oppoſitio relativa.

103. *Oppoſitio relativa* eſt *incompoſſibilitas duorum attributorum relativorum in eodem ſubjecto*, *reſpectu ejuſdem termini*. Hac ratione adverſantur ſibi mutuo *Pater*, & *Filius*. Nam fieri nullo modo poteſt, ut

ut idem reſpectu ejuſdem ſit ſimul *pater*, & *filius*, adeo nimirum ut illius ſit *filius*, cujus eſt *pater*, aut viciſſim.

Lex oppoſitorum relative.

104. Inter *oppoſita relative datur medium per utriuſque excluſionem.* Sic lapis neque *dominus* eſt, neque *ſervus*; non eſt *filius*, neque *pater.*

Oppoſitio privativa.

105. Attributa *privative oppoſita* dicuntur illa, *quorum unum eſt privatio alterius.* Definitur autem *privatio : carentia formæ*, ſeu *attributi in ſubjecto, cui debetur*, ſive, quemadmodum ajunt Scholæ, *in ſubiecto apto nato ad illam habendam.* Ut enim inquit Tullius, *cum non habeas, quod tibi nec uſu, nec natura ſit aptum, non careas, etiam ſi ſentias, te non habere* (a). Hoc itaque modo opponuntur in homine *viſio*, & *cæcitas.*

Lex privative oppoſitorum.

106. *Inter privative oppoſita datur medium, quod utrumque excludit.* Cum enim non omne attributum ſit cuilibet ſubjecto conveniens, non omnis carentia formæ in ſubjecto *privatio* eſt. Sic lapis neque *cæcus* eſt, neque *videns*; nam licet *viſione* careat, privatus tamen viſione, ſive *cæcus*, dici nequit; cum *viſio* non ſit forma, quæ illi jure conveniat.

Oppoſitio contradictoria.

107. *Contradictorie oppoſita vocantur illa, quorum unum eſt negatio alterius*, ut *album*, & *non album*, *homo*, & *non homo*, & his ſimilia. Duplex porro diſtingui ſolet *negatio.* Una quippe *extra genus*, altera negatio *in genere* nuncupatur. Prima eſt *negatio termini ſine ordine ad ſubjectum*, ut *non ens*, *non homo*, *non animal* &c. Secunda eſt *negatio termini in ſubjecto*, ut *negatio albedinis* in pariete, *ſaporis* in lapide &c. Cavendum tamen, ne attributum, quod negatur de ſubjecto, ſit illi conveniens; quippe tunc hujuſmodi carentia, ſi proprie loqui velimus, *negatio* non eſt, ſed vera *privatio* (§. 105.).

Lex

(a) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 36.

Digitized by Google

Lex contradictorie oppoſitorum.

108. *Inter contradictorie oppoſita non datur medium, quod vel utrumque oppoſitorum excludat, vel de utroque participet.* Omne enim vel eſt, vel non eſt. Hinc *oppoſitio contradictoria* eſt omnium maxima.

Oppoſitio diſparata.

109. His alia addi ſolet *oppoſitio*, quæ *diſparata* dicitur. Ea itaque cenſentur *diſparate oppoſita*, quæ ita pugnant inter ſe, ut eodem modo cum quovis tertio pugnent. Sic *oppoſita diſparate* ſunt *lignum* & *lapis*, *homo* & *equus*, atque id genus alia. *Lignum* quippe ita opponitur *lapidi*, ut eodem plane modo cuilibet alio corpori adverſetur. Verum hæc pugna nonniſi improprie poteſt *oppoſitio* nuncupari. Quæ namque hac ratione inter ſe mutuo pugnare dicuntur, ab eodem ſubjecto, prout vera poſtulat *oppoſitio*, minime, ut patet, ſe ſe excludunt.

SECTIO OCTAVA.

De rerum prioritate, poſterioritate, & ſimultate.

I.

110. POteſt unum eſſe *prius* alio *tempore*, *natura*, *ordine*, *dignitate*, & *cauſa*. Dicitur *prius tempore*, quod aliquo temporis intervallo aliud præceſſit. Sic Adam fuit *prior tempore* Eva. Dicitur *prius natura*, quod ita ex alio infertur, ut illud minime ex ipſo colligatur. Sic *genus eſt prius natura*, quam *ſpecies*; quia poſita *ſpecie*, ponitur *genus*, at non viciſſim. Dicitur *prius ordine*, quod in aliqua ſerie aliud præcedit. Sic *binarius* in hac numerorum ſerie 2. 4. 8. 16. eſt *ordine* prior *quaternario*. Dicitur *prius dignitate*, quod aliis honore præeſt. Sic Epiſcopus Presbyteris omnibus *prior dignitate* eſt. Dicitur poſtremo *prius cauſa*, quod alterum reipſa efficit. Sic pater in creatis eſt *prior cauſa* filio.

II.

111. Tot ſimiliter modis unum *poſterius* alio vocatur. Cumque *prius*, & *poſterius* oppoſita ſint inter ſe, perceptis modis, quibus unum

prius altero eſt, illi quoque mente comprehendi facile poſſunt, quibus unum eſt alio *poſterius*. Oppoſita quippe oppoſitis rationibus explicantur.

III.

112. Tribus modis duo *ſimul* eſſe dicuntur, nimirum *tempore*, *natura*, & *diviſione*. Dicuntur *ſimul tempore*, quæ eodem tempore in rerum natura poſita ſunt, ſimulque exiſtunt, ut duo gemelli. *Simul natura*, quæ ita exiſtunt ſimul, ut uno poſito, alterum quoque ponatur, neceſſe ſit; neutrum tamen illorum eſt cauſa alterius, neque ratio, cur illud exiſtat. Hoc modo dicuntur eſſe *ſimul* duo ſimilia. *Simul* demum *diviſione* vocantur illa, quæ idem *genus* dividunt, ut homo, & bellua, ſi ad animal, cujus ſpecies ſunt, referantur.

SECTIO NONA.

De idearum ſignis, ſive de terminis vocalibus.

113. CUm humanæ mentis cogitationes intus lateant, aliqua re ſenſibili opus eſt, ut palam fiant. Inter plura autem, quæ ad id præſtandum idonea eſſe poſſunt, ambiget nemo, quin vox principem locum jure ac merito teneat. Illa ſiquidem nobis ſemper præſto eſt, facile formatur, infinitis prope modis, pro rerum, idearumque varietate, inflectitur, ſimulque a pluribus, etſi una ſit, excipi poteſt. *Hoc uno* propterea, inquit Tullius, *præſtamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus* (a). Sicuti ergo Logicæ munus eſt, latentes humanæ mentis operationes dirigere, ita ad eam pertinere videtur, voces, quibus cogitationes ipſæ palam fiunt, conſiderare.

ARTICULUS I.

De ſigno ſenſibili generatim ſumto, ejuſque affectionibus.

I.

114. SIgnum ſenſibile, quod etiam *materiale* dici ſolet, definitur a S. Auguſtino: *id, quod præter ſpeciem ſui, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid facit in cognitionem venire* (b). Sic fumus eſt ſignum

(a) Lib. I. de *Oratore* cap. 8. (b) Lib. II. de *Doctrina Christiana* cap. 1.

Digitized by Google

ſignum latentis ignis. Quandoquidem, viſo fumo, ſubeſſe ignem, cognoſcimus.

COROLLARIUM.

115. Hinc non ſolum aliqua *ſignum* inter, & *rem ſignatam* connexio requiritur, verum etiam ipſa connexio debet nobis eſſe nota, ut illud ſub ratione *ſigni* percipiatur. Neque enim, ſi ſecus, ut patet, viſo ſigno, res ſignata perciperetur. Quoniam autem connexio ſigni cum re ſignificata poteſt eſſe tum ex ipſa rerum natura, tum ex libera intelligentis inſtitutione, *ſignum* propterea a Philoſophis in *naturale*, & *arbitrarium* ſatis apte dividitur.

II.

116. *Signum naturale* dicitur illud, quod natura ſua cum re ſignata ita connexum eſt, ut rem ipſam vel contineat, vel efficiat, vel ſequatur. Sic fumus eſt *ſignum naturale* ignis, quemadmodum etiam reſpiratio eſt *naturale ſignum* vitæ in animalibus. Fumus enim ex igne oritur, & a reſpiratione, ut cuique conſtat, animalium vita neceſſario dependet.

COROLLARIUM.

117. *Signa* idcirco *naturalia* rem eandem, & quidem neceſſario, adeoque ſemper, apud omnes ſignificant.

III.

118. *Signum arbitrarium* vocari illud ſolet, quod a libera dumtaxat Dei, vel hominum voluntate id habet, ut rem a ſeipſo diverſam deſignet, nobiſque exhibeat. Sic hedera ad fores appenſa non eſt ſignum vini vendibilis, niſi *arbitrarium*, ſive *ad placitum*. Nulla enim ex lege naturæ inter res hujuſmodi connexio eſt, ſed tota ipſa ſignificatio a libera hominum inſtitutione dependet.

COROLLARIUM.

119. Hinc *ſigna arbitraria* mutari facile poſſunt, adeo nempe ut modo unam, modo aliam rem, etiam plane contrariam, nobis exhibeant. Omnes ſiquidem res ab hiſce ſignis ex æquo reſpiciuntur.

120. Ce-

Digitized by Google

I V.

120. Celebris eſt diviſio *ſigni* in *demonſtrativum*, *prognoſticum*, & *rememorativum*. *Demonſtrativum* dicitur, quod rem præſentem: *prognoſticum*, quod rem futuram: *rememorativum*, quod rem præteritam nobis deſignat, & exprimit.

V.

121. Proprietates porro *ſigni* ſunt *veritas*, & *falſitas*, *certitudo*, *incertitudo*, & *probabilitas*. *Verum* dicitur *ſignum*, ſi res ita ſe habeat, ut ab ipſo ſigno exprimitur. Contra vero *falſum*, ſi res illi minime congruat.

COROLLARIUM.

122. *Signa naturalia* ſemper ſunt *vera*. *Arbitraria* vero humana *falſa* eſſe poſſunt. Illa enim rebus ipſis ex lege naturæ, quæ nunquam fallit, connexa ſunt. Hæc vero ex fallaci hominum voluntate unice dependent.

V I.

123. *Signum certum* dicitur illud, quod nunquam fallit. *Incertum*, ſive *dubium*, quod toties ex æquo fallit. *Probabile* vero, quod raro fallit. Sic *reſpiratio* eſt *ſignum certum* vitæ; quia fieri nequit, ut animal reſpiret, quin vivat. *Rubedo* vero *ſerotina* cœli eſt *ſignum* tantum *probabile* matutinæ *ſerenitatis*; quia ut plurimum dumtaxat, non autem ſemper, res ita contingit.

COROLLARIUM.

124. *Certa* ſunt omnia *ſigna naturalia*, quemadmodum etiam illa, quæ a Deo ſunt inſtituta. Semper quippe *vera* ſunt; cum fieri haud poſſit, ut Deus, & natura nos fallant.

ARTICULUS II.

De voce, prout eſt ſignum.

I.

125. VOx, generatim ſumta, eſt ſonus animalis ore prolatus. Dividitur in *articulatam*, & *non articulatam*. Prior eſt illa,

illa, quæ per ſyllabas, veluti per articulos, diſtinguitur, ut vox *Deus*, *homo* &c. Poſterior vero ea eſt, quæ per ſyllabas diſtingui nequit, ut ſunt *rugitus*, *latratus*, hominum quoque *gemitus*, atque *ſuſpiria*.

I I.

126. *Inarticulatas voces* emittere hominibus omnibus, belluiſque ex æquo commune eſt; loqui vero *articulate* hominis proprium. *Hoc* enim *uno*, ut ſuperiori etiam loco cum Tullio diximus, *præſtamus vel maxime feris*, *quod colloquimur inter nos*, *& quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus* (a). Utraque igitur *vox* latentem mentis operationem, paſſionemque occultam in aperto ponit; quippe *loquendo nos docere velle*, inquit S. Auguſtinus, *manifeſtum eſt* (b). At non eodem modo utraque *vox*, quod intra nos latet, ſignificat. *Articulatæ* ſiquidem *voces* ad mentis cogitationes exprimendas ordinatæ ſunt. Ad animi vero, corporiſque paſſiones manifeſtandas *inarticulatæ* inſerviunt.

I I I.

127. Illud proinde inter utramque *vocem* quammaxime diſcriminis eſt, ut *voces articulatæ* ſint ſigna prorſus *arbitraria*, *naturalia* vero *voces inarticulatæ*, & quidem potiſſimum gemitus, atque ſuſpiria. Neque enim eadem idea ab omnibus una eademque voce exprimitur; neque pro rerum diſcrimine ſunt voces diverſæ. Dixi autem, *gemitus* potiſſimum, atque *ſuſpiria* inter *ſigna* paſſionum *naturalia* poſſe referri. Quippe de dolore plerumque, vel inviti, gemendo conquerimur; quodque cupimus, ſuſpiriis, inſcii prorſus, quandoque indicamus. Non inficior tamen, a libero voluntatis arbitrio illa interdum dependere, ac ſæpe illorum ope nos falli.

I V.

128. Quod de *voce articulata* modo diximus, de *ſcriptura* quoque, *ſymbolis*, aliiſque id genus ſignis, ſunt intelligenda. Videlicet hæc omnia non ſunt ſigna idearum, niſi *ad placitum*. Quoniam vero inter omnia *ſymbola* peculiare ſcripturæ eſt, ut *articulatæ vocis* vicem gerat, eamque certo quodam modo, veluti ob oculos, ponat, nobiſque exhibeat, non immerito a pleriſque *vox permanens*, *atque fixa*, *ad*

(a) Lib. I. *de Oratore* cap. 8.
(b) Lib. *de Magiſtro* cap. 1.

ad poſteros & abſentes facile commeans, ſcriptura nuncupatur. Unde Tullius, *literæ*, inquit, *poſteritatis cauſa repertæ ſunt, quæ oblivioni ſubſidio eſſe poſſent* (a).

ARTICULUS III.

De nomine, ſive de termino vocali.

129. NOmen, ſive *terminus vocalis*, eſt vox articulata, qua mentis notiones, earumque objecta a nobis exprimuntur. Hujuſmodi ſunt voces *Deus*, *homo*, *lapis*, *album*, & hiſce ſimiles. Dividitur terminus vocalis in *categorematicum*, & *ſyncategorematicum*. *Categorematicus* dicitur ille, qui ſolus & per ſe ideam aliquam deſignat & exprimit, ut vox *homo*. *Syncategorematicus* vero, qui ſolus nihil ſignificat, bene vero, ſi cum *categorematico* conjungatur, ut *omnis*, *nullus*, *quidam* &c.

I.

130. Terminus *categorematicus* dividitur primo in *ſimplicem*, & *complexum*. Prior eſt, qui ex pluribus non conſtat. Poſterior, qui ſimul plures terminos comprehendit. Sic vox *Deus* terminus *ſimplex* eſt; *complexus* vero *homo albus*.

II.

131. Dividitur ſecundo in *ſubſtantivum*, & *adjectivum*. *Subſtantivus* dicitur, qui rem ſignificat *per ſe ſtantem*, ut vox *homo*. *Adjectivus* vero, qui rem deſignat alteri *adjacentem*, ut vox *albus* in hoc termino complexo *homo albus*. Hinc *ſubſtantivum* terminum vocant alii, qui *rem*; *adjectivum* vero, qui *modum* rei exprimit.

III.

132. Dividitur tertio in *concretum*, & *abſtractum*. Terminus *concretus* vocatur ille, qui ſignificat *formam* in *ſubjecto*, vel, ut aliis placet, *ſubjectum* affectum *forma*, ut *album*, *dulce* &c. Contra vero *abſtractus* nuncupatur, qui *formam* exprimit ſine *ſubjecto*, cujus eſt *forma*, ut *humanitas*, *dulcedo* &c.

133. Di-

(a) Pro Sylla.

Digitized by Google

I V.

133. Dividitur quarto in *abſolutum*, & *reſpectivum*. *Abſolutus* dicitur, qui rem deſignat ſine ordine ad aliud ab ea diſtinctum, ut *homo*, *album* &c. *Reſpectivus* autem, qui rem exprimit, quatenus dicit ordinem ad aliud, ut *ſimile*, *æquale* &c.

V.

134. Dividitur quinto in *finitum*, & *infinitum*. Terminus *finitus* vocatur ille, qui ſignificat rem certam, & determinatam, ut *homo*, *lapis* &c. *Infinitus* vero, qui per particulam *non* ſibi præpoſitam nihil determinate exprimit, ut *non homo*.

V I.

135. Dividitur ſexto in *univocum*, *æquivocum*, & *analogum*. *Univocus* eſt, qui tribuitur pluribus ſecundum eandem ſignificationem. Sic terminus *homo* univoce dicitur de *Petro*, *Paulo*, & *Franciſco*, quia idem in omnibus ſignificat. Contra vero *æquivocus*, qui plane diverſa exprimit, ut vox *canis*, quatenus tam *animal domeſticum*, quam *marinum*, & etiam *ſydus* quoddam, ipſa una voce deſignatur. Hinc *æquivocus* etiam dicitur terminus, qui diverſa prorſus ſignificatione pluribus ſimul tribuitur. *Analogus* poſtremo terminus ille vocatur, qui pluribus tribui ſolet, quatenus vel eandem rem diverſo modo, vel eodem modo res diverſas illa reſpiciunt. Is propterea duplex eſt, *analogus* ſcilicet *analogia attributionis*, & *analogus analogia proportionis*. Terminus *analogus analogia attributionis* eſt ille, qui tribuitur pluribus, quatenus ideam ipſo nomine ſignificatam diverſo modo reſpiciunt. Sic nomen *ſanum* dicitur *analogice analogia attributionis* de *homine*, de *medicina*, & de *urina*. Dicitur namque de *homine*, quatenus ſanitatis *ſubjectum* eſt; de *medicina*, quatenus eſt illius *cauſa*; de *urina* vero, quatenus eſt ejuſdem *ſignum*. Terminus autem *analogus analogia proportionis* vocatur ille, qui dicitur de pluribus, quatenus eandem ad diverſa relationem habent. Sic nomen *caput* convenit *analogice analogia proportionis* ſupremæ parti hominis, & montis; quia pars illa eodem modo in utroque inferiora reſpicit.

S E-

SECTIO DECIMA.

Quid & quotuplex ſit definitio; quæque obſervanda ſint, ut optime tradatur.

I.

136. *Definitio eſt ejus, quod in re, vel in nomine obſcurum, & involutum eſt, perſpicua explicatio.* Dicitur: *quod in re, vel in nomine obſcurum, & involutum eſt*; quia aliud eſt cognoſcere, quid res ſit; aliud vero ſcire, quidnam determinato aliquo vocabulo intelligatur. Hinc *definitio* altera *rei* eſt, altera *nominis*.

II.

137. *Definitio nominis* eſt illa, qua id palam fit, quod ipſo nomine intelligitur; ut cum dico, nomine *quantitatis* me intelligere *id, penes quod dua æqualia dicuntur inter ſe, vel inæqualia*. Nulla enim tunc explicatur res, ſed determinatur dumtaxat, quænam notio illi vocabulo tribuatur. *Definitio* idcirco *nominis*, de qua modo loquimur, ab ea vocabulorum explicatione quammaxime differt, quam Grammatici *etymologiam* appellant. Per hanc enim ea non determinatur notio, quæ tali vocabulo alligata eſt, ſed illæ dictiones traduntur, ex quibus rei vocabulum derivatur, ut inde ſcilicet pateat, cur res ipſa tali vocabulo expreſſa ab initio fuerit; ut cum dicitur, qui præeſt Reipublicæ, ob id *Conſul* vocari, quia munus illius eſt, *Reipublicæ bono conſulere*.

III.

138. *Definitio* vero *rei* eſt illa, qua latens rei *natura* explicatur. Quoniam autem rei cujuſvis *eſſentia* exponi dupliciter poteſt, nimirum *primo* per attributa, quæ *eſſentiam* ipſam ingrediuntur, eamque conſtituunt; *ſecundo* per attributa, quæ ad rei *eſſentiam* non ſpectant, duplex propterea *rei definitio* vulgo diſtinguitur, *eſſentialis* nempe, & *accidentalis*. Prior eſt illa, qua rei *natura* per ea explicatur, ex quibus *eſſentia* ipſa conſurgit, ut cum *homo* dicitur eſſe *animal rationale*. Poſterior vero ea eſt, qua per attributa externa & adventitia res palam efficitur, ut cum *homo* deſcribitur ex Tullio: *animal provi-*
dum,

Digitized by Google

dum, *ſagax*, *multiplex*, *acutum*, *memor*, *plenum rationis & conſilii* (a). Hæc porro poſterior rei explicatio *deſcriptio* potius, quam *definitio*, vocari a pleriſque ſolet; propterea nimirum quia rei *eſſentia* palam per eam nequaquam fit, ſed illius tantum *proprietates* indicantur.

I V.

139. His ea addi poteſt definitio, quam Cl. Volfius *geneticam* vocat (b). In eo autem *genetica definitio* conſiſtit, ut res explicetur, modum determinando, quo res ipſa fit, vel fieri poteſt; ut cum *circulus* definitur: *figura plana genita ex completa revolutione lineæ rectæ in eodem plano exiſtentis circa alterum ſui extremum penitus immobile*.

Corollarium.

140. Ex his manifeſte apparet, nullam rem definiri a nobis poſſe, niſi nobis nota res ipſa fuerit. Quod namque nobis plane ignotum eſt, explicari alteri nequit. Non video propterea, quonam jure *modus ſciendi*, ſive *medium acquirendi ſcientiam*, vulgo a Scholaſticis *definitio* dicatur. Fieri ſiquidem nulla ratione poteſt, ut mens per id ſcientiam obtineat, quod ſcientia poſterius eſt, eamque requirit.

Animadversio I.

141. *Definitio nominis* arbitraria prorſus eſt, minime vero *definitio rei*. Videlicet, ut *nominis definitio* ſit vera, id totum ex loquentis arbitrio dependet; ſecus vero, ut vera ſit *definitio rei*. Cum enim voces non ſint ſigna idearum niſi *ad placitum* (§. 127.), liberum eſt cuique, ea vocabula ad ideas ſignificandas aſſumere, quæ ſibi magis placent, dummodo eos, quibuſcum agit, de ejuſmodi determinatione commonefaciat. At, cum non dependeat ab hominum arbitrio, ut res quælibet, ſicuti in ſe eſt, percipiatur, liberum nobis jure eſſe nequit, rem ipſam, prout nobis arridet, definire. Accedit, ad veram *rei definitionem* condendam ſatis non eſſe, ut res definiatur, prout cognoſcitur, ſed neceſſario requiri, ut, qualis revera res ipſa ſit, a nobis cognoſcatur.

Ani-

(a) Lib. I. *de legibus* cap. 7.
(b) P. I. *Logicæ* §. 105. edit. Veronenſis 1735.

ANIMADVERSIO II.

142. Cum itaque *definitiones nominum* arbitrariæ omnino ſint, aperte conſtat, nullo prorſus jure litem de illis moveri poſſe. Futilis quippe eſt illa altercatio, quæ loquentis arbitrio poteſt tota componi. Licet propterea, *nominis definitionem* inſtar *axiomatis*, atque adeo *principii* loco, in diſputationibus aſſumere; cum ſcilicet in omni diſputatione id *principii* vicem gerere optime queat, quod a nemine poteſt jure ac merito in controverſiam verti.

ANIMADVERSIO III.

143. Loquendo vero de *rerum definitione*, res plane contra ſe habet. Cum enim *rei definitio* poſſit eſſe falſa, atque adeo ab adverſario negari, eam non licet, tamquam *axioma*, in diſputatione aſſumere; ſed demonſtranda eſt, antequam, *principii* inſtar, aſſumatur. Cavere propterea ſummo ſtudio debemus, ne *rerum definitiones* cum *definitionibus nominum* perperam confundantur. Hinc enim certo fiet, ut quæ penitus falſa ſunt, tamquam vera plerumque admittamus.

ANIMADVERSIO IV.

144. Obſervare quoque plurimum intereſt, ne id aſſumatur, veluti reipſa exiſtens, quod *nominis definitione* explicatum eſt. Nihil quidem prohibet, quominus *gravitatis* nomine intelligam *entitatem abſolutam* corporibus deorſum ruentibus impreſſam; at nonniſi perperam inferre hinc mihi licet, ejuſmodi *entitatem* reipſa in corporibus reperiri. In hoc itaque vitium cum facillime plerique labantur, ſumma attentione opus eſt, ne ex hoc capite decipiamur.

Regulæ optimæ definitionis.

REGULA I.

145. *Definitio ſit clarior re definita.* Nulla quippe eſt definitio, quæ non eſt clarior definito; cum hoc ipſo non ſit ejus, quod in re, vel in nomine latet, perſpicua, qualis neceſſario eſſe debet, explicatio.

RE-

Digitized by Google

Regula II.

146. *In condendis idcirco definitionibus adhiberi debent vocabula perfecte nota, vel prius explicata.* Adhuc enim obſcurum, & involutum remanet, quod vocabulis inuſitatis, obſoletis, novis, penituſque ambiguis definitur. *Opera* igitur *danda eſt*, ſicuti præclare monet Tullius, *ut verbis utamur quamuſitatiſſimis, & quammaxime aptis, id eſt rem declarantibus* (a).

Regula III.

147. *Definitum definitionem non ingrediatur.* Hoc enim ipſo idem per idem exponitur; atque adeo ignotum per æque ignotum, quo nihil abſurdius.

Regula IV.

148. Hac eadem ratione *nullus in definitione adhibendus eſt terminus, ad cujus definitionem res ipſa definita pertineat.* Sic perperam rem agunt, qui *diem* definiunt *ſpatium temporis conſtans* 24. *horis*, ſi *hora* per *vigeſimamquartam diei partem* ſimul ab iiſdem definiatur.

Scholion.

149. Qui in condendis *definitionibus* huic vitio obnoxii ſunt, *circulum* in definiendo *agere* dicuntur. Eo enim redeunt, unde diſgreſſi ab initio fuerant, atque ab ipſa *rei*, vel *nominis* explanatione, veluti a centro, ſemper ex æquo diſtant.

Regula V.

150. *Definitio ſit brevior, quo fieri poteſt.* Sive enim *definitio* in aliquo deficiat, ſive in aliquo abundet, ſemper vitium eſt, hoc ſuperfluitatis, illud defectus.

Scholion.

151. Loquimur hic de *definitione* non *Oratoria*, ſed *Logica*. Ornata ſiquidem elocutio nullatenus finit, ut *res*, vel *nomen* ſtricte explicetur. *Erit*, inquit Tullius, *hæc facultas in eo, quem volumus eſſe elo-*

(a) Lib. IV. *de Finibus* cap. 20.

Digitized by Google

eloquentem, ut definire rem poſſit, neque id faciat tam preſſe & anguſte, quam in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet, ſed cum explanatius, tum etiam uberius, & ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatius (a).

REGULA VI.

152. *Definitio ſit ita propria rei definitæ, ut cum illa reciprocetur.* Etenim, ſi ſecus, nulla ipſa eſt; cum res, ut ab aliis differt, minime per eam exponatur.

REGULA VII.

153. *In definitione rerum eſſentiali adhibenda ſunt genus proximum, & differentia ultima.* Hæc enim attributa rem immediate conſtituunt.

REGULA VIII.

154. *Si res nonniſi per proprietates definiri poſſit, ſatis eſt, illarum unam in definitione exprimere.* Per earum quippe unam ſatis ab omni alia res ipſa diſtinguitur.

REGULA IX.

155. *Si vero res definienda ſit per attributa communia, tot ex illis enumeranda ſunt in definitione, quot ſimul ſumta nonniſi rei definitæ convenire poſſunt, & inſunt reipſa.* Tunc enim dumtaxat definitio ita erit propria rei definitæ, ut cum illa, quemadmodum opus eſt (§.152.), reciprocetur.

LO-

(a) Lib. *de Oratore* cap. 33.

LOGICES PARS SECUNDA.

De judicio, & propoſitione.

SImplicem rerum *perceptionem*, ut in limine diximus, *judicium* conſequitur. Traditis propterea, quæ ad *perceptionem* ſpectant, ordo doctrinæ poſtulat, ut, quæ ad *judicium* attinent, videamus. Itaque

SECTIO PRIMA.

Judicii natura paucis explicatur.

I.

156. JUdicium eſt actus, quo unum de alio mens affirmat vel negat. Talis eſt ille, quo diximus, Deum eſſe juſtum, & animam rationalem minime cum corpore in morte perire. Verum,

II.

157. Ut *judicii* notio clarior fiat, attente conſideremus oportet, quæ neceſſaria nobis ſint, ut rectum de re *judicium* ferre valeamus. Opus eſt enim primo, ut *ſimus duarum idearum conſcii*, videlicet ut nobis innoteſcat tum id, de quo aliud affirmare volumus, vel negare; tum id, quod illi, affirmando, conjungimus, vel negando, ab eo removemus. Sic judicare minime poſſumus, *Deum eſſe juſtum*, niſi nobis conſtet, tum quid ſit *Deus*, tum quid *juſtitia* nomine intelligatur. Requiritur ſecundo *mutua duarum ipſarum idearum comparatio*. Niſi enim ideæ, quarum una de altera enuntianda eſt, invicem conferantur, cognoſcere mens noſtra nequaquam poterit, quæ ſit earum habitudo, ac proinde quodnam *judicium* juſte ea de re ſit ferendum. Requiritur poſtremo, *ut ipſarum idearum habitudo menti reluceat*. Etenim nonniſi ex notione hujus habitudinis determinatur mens ad unam ideam de alia affirmandam, vel negandam.

 158. In

III.

158. In eo itaque actu *judicium* unice conſiſtit, quo, poſita duarum idearum perceptione, earumque, ex facta comparatione, habitudine cognita, mens unam de alia, ajendo, vel negando, enuntiat. *Judicium* propterea eſt actus mentis omnino ſimplex, poſterior *perceptione*, ab eaque neceſſario dependens, adeo nimirum ut ideæ ab ipſum non pertineant, niſi tamquam *materia*, circa quam mens, *judicando*, verſatur.

IV.

159. *Judicium* dividitur *eſſentialiter* in *affirmativum*, & *negativum*. *Affirmativum* eſt illud, quo unam ideam alteri ineſſe, vel convenire dicimus, ut cum judicamus, *Deum eſſe juſtum*; contra vero *negativum*, quo unam ideam alteri non ineſſe, eique haudquaquam competere pronuntiamus, ut cum dicimus, *animam rationalem non eſse mortalem*.

V.

160. Proprietates *judicii* ſunt *veritas* & *falſitas*. *Judicium* dicitur *verum*, ſi proprio objecto conſentaneum ſit: *falſum*, ſi illi minime congruat. *Objectum judicii* ſunt res, in quibus verſatur mens, dum judicat. Suo itaque objecto reſpondet *judicium*, adeoque *verum* eſt, ſi res ita ſe habeat, ut eam ſe habere, mens *judicio* ſuo definit. Contra vero *judicium* non congruit objecto, eſtque proinde *falſum*, ſi res aliter ſit in ſe, ac eam eſſe, mens ſuo *judicio* pronuntiat. Sic *verum* eſt *judicium*, quo Deum eſſe juſtum; *falſum* e contrario, quo mentem noſtram cum corpore in morte perituram eſse, cenſemus; quippe ſumma juſtitia in Deo reipſa eſt; mens vero noſtra minime cum corpore deficit.

SECTIO SECUNDA.

De origine vitiorum, quibus judicia noſtra labefactari ſolent; & quomodo illis ſit occurrendum.

161. DUo maxime ſunt, quæ nos impediunt, quominus recte de rebus judicemus, *infantiæ* ſcilicet *præjudicia*, & *præcipitatio mentis*.

Præ-

Præjudicia infantiæ.

162. *Infantia præjudicia* dicuntur falſæ illæ opiniones, quas infantiæ tempore hauſimus. *Nos, ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus*, inquit Tullius, *in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur, ut pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cum vero parentibus redditi, demum magiſtris traditi ſumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat. Accedunt etiam Poetæ, qui, cum magnam ſpeciem doctrinæ ſapientiaque præ ſe tulerunt, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus. Cum vero accedit eodem, quaſi maximus quidam Magiſter, populus, atque omnis undique ad vitia conſentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque deſciſcimus* (a). Pluribus ergo falſis opinionibus a prima ætate præoccupati, atque a teneris annis imbuti, falſa ea demum omnia arbitramur, quæ illis conſentanea nequaquam ſunt; ea vero apertis ulnis amplectimur, tamquam certiſſima, quæ ex illis derivantur, quin vel leviſſime conſideremus, num error aliquis hiſce judiciis ſubeſſe poſſit. Hoc porro vitium difficilis curationis eſt; quippe

Dediſcit animus ſero, quod didicit diu (b).

Præcipitatio mentis.

163. *Præcipitatio mentis* eſt præceps de re vel prorſus ignota, vel non ſatis explorata judicium. Quam porro late hoc vitium dominetur, explicari vix poteſt. Omnes quidem *trahimur*, inquit Tullius, *& ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, neſcire, & decipi, & malum & turpe ducimus* (c); at non agimus omnes, quæ agenda ſunt, ne hac in parte fallamur. Moræ ſiquidem impatientes, ſupraſedere in rebus conſiderandis ne tantillum quidem poſſumus; ſuntque longe plura, quæ *odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut alia permotione mentis*, quam quæ *veritate* judicamus (d). Hinc, ut egregie monet, & præclare explicat Vir Cl., *apertis ulnis in ſinum admittimus promiſcuam ratiociniorum, & axiomatum farraginem. Hæc malumus* pro

(a) Lib. III. *qq. Tuſcul.* cap. 1. & 2.
(b) Seneca in *Troade*.
(c) Lib. I. *de Officiis* cap. 6.
(d) Tullius Lib. I. *de Oratore* cap. 42.

Digitized by Google

pro veris ſupponere, quam ad examen vocare. Si non capimus ipſi, credere volumus, ab aliis capi, & ſic memoriam infinita rerum falſarum, obſcurarum, & non intellectarum ſuppellectile oneramus, e quibus, tamquam indubitatis principiis, concluſiones poſtea deducimus, nequaquam ad ea attendentes, quæ vel dicimus, vel cogitamus. Vanitas præterea & arrogantia vires addunt huic malo. Pudet nos de quovis dubitare, quidvis ignorare. Malumus inconſulte garrire, & caſu pronuntiare, quam noſmetipſos agnoſcere non ſatis inſtructos ad ſententiam ferendam. Toti ſcatemus ignorantiis & erroribus, cum tamen nihil difficilius ſit, quam hanc tam æquam, tam debitam humanæ conditioni confeſſionem exquirere: NESCIO, FALLOR (a). His ergo vitiis ut occurramus, cordi ſint, quæ ſequuntur.

ANIMADVERSIO I.

164. Primo *iis omnibus opinionibus exuenda mens noſtra eſt, quas anteacta vita conſuetudine temere arripuimus; earumque nulla deinceps pro vera habeatur oportet, niſi maturo prius examini ſubjecta fuerit, attentoque animo conſiderata, & æqua rationis lance expenſa*. Hinc Philoſophiæ ſtudium inchoandum eſſe a dubitatione, cenſuit olim Carteſius, recte putans Vir eximius, nonniſi hac ratione poſſe fieri, ut infantiæ præjudicia, præjudicatæque opiniones prorſus tollantur. Neque enim, ſi omnia ſimul permixta ſint, diſcerni poſſunt vera a falſis, niſi ſingula, perinde ac dubia, veluti in judicium vocentur, & rigide expendantur; atque adeo niſi dubitando philoſophemur.

SCHOLION.

165. Nolim tamen, ut dubitationis regula ultra, quam par ſit, extendatur. Fateor quidem, dubitandum initio eſſe; verum non ita, ut vel nihil omnino a dubitatione excipiendum ſit, vel, perinde ac ſi nihil prorſus certo a nobis cognoſci unquam poſſet, ſemper dubitationi inſiſtamus. Dubitare igitur de iis judiciis haudquaquam debemus, quæ licet nobiſcum nata quodammodo ſint, & abſque ullo examine a teneris etiam annis arrepta, ex ipſis tamen terminis, quavis vel levi adhibita attentione, nobis manifeſtiſſime conſtant; cujuſmodi ſunt: *omne totum eſt majus ſua parte; impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe*; & id genus alia. Ea quoque ab omni prorſus dubitatione excipiamus oportet, quæ ad fidem pertinent. Ut enim evi-

(a) Auctor *Artis cogitandi* Diſſert. I. *proœmiali*.

Digitized by Google

evidentiam in iis quærere licet, quæ a naturali ratione dependent, ita nonniſi temere illa in iis exigitur, quæ ſciri a nobis minime poſſunt, ſed tantum credi. Æque itidem peccare eos arbitror, qui in judicio de rebus ferendo præcipites ſunt, ac qui hæſitant ſemper, & in bivio verſantur. Non minus quippe vitium eſt, tantam humanæ menti tribuere vim atque potentiam, ut uno vel ſimpliciſſimo intuitu valeat res cunctas, ſicuti ſunt in ſe, plane percipere, quam mentem ipſam adeo proterere atque dejicere, ut nihil prorſus clare comprehendi, certoque ab ea ſciri unquam poſſit. Verum plura hac de re ſuo loco. Interim notatum velim, quod præclare advertit Vir doctiſſimus, hinc ſcilicet natum eſſe Pyrrhoniſmum (*alterum*, ut ille ait, *humani ingenii extra rationis orbitam evagantis vitium*) *qui cum videatur illorum temeritati contrarius, qui omnia credunt, de omnibus pronuntiant, ab eadem tamen radice originem trahit*, attentionis *ſcilicet* defectu. *Illi enim eam operam, quæ erroribus cognoſcendis neceſſaria eſt, nequaquam impendunt. Hi nolunt in veritatum contemplatione verſari ea cura ac diligentia, quæ illis potis eſt evidentiam conciliare. Quævis ſubluſtris & maligna lux ad veritatem in rebus falſiſſimis videndam illis ſufficit, his ad falſitatem in rebus veriſſimis detegendam; cum tamen in utriſque effectuum tam diſparium cauſa ſit unus idemque attentionis defectus* (a).

ANIMADVERSIO II.

166. *Judicia noſtra tamdiu ſuſtinere debemus, donec res, in qua verſamur, ſedulo examine diſcuſſa a nobis fuerit, optimeque perſpecta.* Cum enim, inquit Tullius, *tam vitioſum eſſe conſtet, aſſentiri quidquam aut falſum, aut incognitum, ſuſtinenda eſt potius omnis aſſenſio, ne præcipitet, ſi temere proceſſerit*. (b). Summa profecto temeritas eſt, de re nonniſi leviter explorata ſententiam pronuntiare. Neque enim tanta vi, tantoque mentis acumine ſumus a natura inſtructi, ut nihil plane occurrere nobis poſſit, quod ſtatim optime non percipiatur. Præceps itaque judicium ſemper temerarium eſt, etſi quandoque veritati conſentiat; quia licet ſit verum, ſemper ſtat, defuiſſe ſufficiens rei examen, quod præcedere ipſum judicium debet, ut prudens cenſeatur.

(a) Auctor *Artis cogitandi* Diſſert. I. *proœm.*
(b) Lib. IV. *qq. Academ.* cap. 21.

Digitized by Google

Animadversio III.

167. Quoniam vero non omnia ſunt æqualis ponderis, neque omnia æque in abdito deliteſcunt, non omnia, antequam de illis judicium feratur, æquali cunctatione inveſtiganda ſunt, neque eodem examine cuncta ſunt expendenda. *Quæ igitur magni ſunt ponderis, maximeque abſtruſa, attenta & longa; quæ vero ſunt facilia, parvique momenti, attenta quidem, ſed non tam moroſa diſcuſſione conſideremus, oportet*. Non minoris quippe eſt vitii, in iis, quæ pro ſua natura & dignitate longo attentoque examine indigent, præcipitanter verſari, quam in iis perſcrutandis, quæ ſcitu faciliora ſunt, nec multum utilia, longam operam curamque impendere.

Animadversio IV.

168. *Præmiſſo ſufficienti rei examine, judicium ferendum eſt ad menſuram acquiſitæ cognitionis, ita nimirum ut, ſi cognitio fuerit clara & diſtincta, judicium ſit ſtabile atque fixum; contra vero aut nullum, aut nonniſi timidum, ſi cognitio obſcura fuerit, ac prorſus confuſa.* Non minori quippe videtur reprehenſione dignus, qui fluctuat in rebus certis & evidentibus, quam, qui de rebus, confuſe tantum & obſcure cognitis, abſque ulla prorſus hæſitatione, quaſi ex tripode, judicium pronuntiat. Qui vero, *quod novit loquitur*, hoc eſt, qui ad menſuram ſuæ cognitionis de rebus judicat, *judex eſt juſtitiæ* (a). Pro hac igitur menſura judicii cum cognitione, quatuor traduntur principia, quorum duo ad judicium *affirmativum*, duo ad *negativum* ſpectant.

Principia judicii affirmativi.

I.

169. *Quidquid in re comprehendi, nobis clare diſtincteque relucet, id de ipſa re certiſſime affirmandum eſt*. Sic affirmare tuto poſſumus, hominem ratione pollere; quia *eſſentialiter* concipi nequit homo, quin ratiocinandi vis nitide in illo percipiatur.

SCHO-

(a) Proverb. cap. 12. v. 17.

SCHOLION.

170. Nemo erit, ut puto, qui hoc principium in dubium vertat. Affirmare quippe unum de alio, perinde eſt omnino, ac unum ineſſe alteri, atque adeo unum in altero comprehendi, pronuntiare.

II.

171. *Quidquid in re nonniſi obſcure & confuſe menti attendenti apparet, id de ipſa re nonniſi dubitanter affirmandum eſt; vel cohibendum eſt judicium, donec illud in ipſa re contineri, clarius menti reluceat.* Contingere enim poteſt, ut vere rei non inſit, quod ei ineſſe, confuſe tantum, atque obſcure apparet.

Principia judicii negativi.

I.

172. *Quidquid rei adverſari, perſpicue attingitur, illud de ipſa re abſolute negandum eſt.* Nequit enim ineſſe rei, quod illi repugnat.

II.

173. *Quidquid in re, ſimplici apprehenſione percepta, minime comprehendi apparet, neque illi repugnare, negandum ipſa de re abſolute non eſt, ſed cohiberi debet judicium, donec vel repugnantia, vel non continentia, ope diligentis examinis, clare cognoſcatur.* Non enim ſimplici perceptione attingere ea omnia poſſumus, quæ rei competunt, vel ipſi repugnant. Profecto cœlum fluidum eſt, neque tamen *fluiditas* in cœli notione relucet. Animæ quoque rationali repugnat *mortalitas*, at non propterea ſola ſufficit terminorum perceptio, ut hæc repugnantia nitide cognoſcatur.

SE-

SECTIO TERTIA.

De propoſitionis natura, ejuſque multiplici diviſione.

I.

174. PRopoſitio, ſive *enuntiatio*, generatim ſumta non eſt aliud, quam ipſum internum mentis judicium verbis expreſſum. Satis apte propterea definitur: *oratio, in qua unum de alio, affirmando, vel negando, enuntiatur*. Plerumque tamen *judicium*, & *propoſitio* promiſcue accipiuntur; unde tunc dividi ipſa ſolet in *mentalem*, & *vocalem*, ſeu in *internam*, & *externam*. Verum quidquid ſit de hac diviſione, hoc unum certum eſt, quamplura de ipſo interno mentis judicio intelligi optime poſſe, quæ de vocali propoſitione traduntur.

II.

175. Cum internum mentis judicium verbis exprimi diſtincte nequeat, niſi tum ipſæ *ideæ*, in quibus mens, judicando, verſatur, tum ipſe *actus judicativus* mentis, indicentur, ideo duplex vocabulorum genus complectitur propoſitio, nempe *nomen*, & *verbum*. *Nomina* ideis reſpondent. *Verbum* judicativum mentis actum deſignat & exprimit. Hinc definitur *verbum: vox articulata ad ſignificandam affirmationem unius ideæ de alia primario inſtituta*. Dicitur: *ad ſignificandam affirmationem*; quia *verbum* non exprimit *negationem*, niſi particula *non* illi præfigatur.

III.

176. *Nomina* dicuntur *termini* propoſitionis, ejuſque *extrema*. *Verbum* vero illius *copula* nuncupatur. *Nomina* quippe extremum utrinque locum in propoſitione tenent; at *verbum* ea unit quodammodo & ſimul conjungit.

IV.

177. *Verbum* vel *ſubſtantivum* eſt, vel *adjectivum*. *Subſtantivum* dicitur, quod affirmationem dumtaxat ſignificat, ut verbum *ſum, es, eſt*. *Adjectivum* vero, quod præter affirmationem, alterutrum quoque, aut etiam utrumque propoſitionis extremum *implicite* continet; ut *amo, ſcribo*, atque id genus alia. Eſt enim *amo*, perinde ac *ego ſum amans*.

178. Ter-

V.

178. Terminorum in propoſitione alter illius *ſubjectum*, *prædicatum* alter vocatur. *Subjectum* propoſitionis eſt ille terminus, de quo alter dicitur. *Prædicatum* vero, qui de altero, affirmando vel negando, enuntiatur. Hic dicitur etiam *attributum*; propterea nimirum quia, quod enuntiatur de alio, ei quodammodo attribuatur. Hinc, proprie loquendo, *prædicatum* affirmativæ dumtaxat propoſitionis *attributi* nomen meretur.

VI.

179. Cum duplici modo poſſit unum enuntiari de alio, *directe* ſcilicet, & *indirecte*, duplicem *prædicationem*, nempe *directam*, & *indirectam*, diſtinguunt Logici. *Prædicatio directa* eſt enuntiatio *ſuperioris* de *inferiori* in linea prædicabilium, aut *formæ* de *ſubjecto*, intelligendo nomine *formæ* omne id, quod aliquo modo aliud perficit atque determinat; nomine vero *ſubjecti* id omne, quod ab alio determinatur, certoque modo perficitur. *Prædicatio* vero *indirecta* eſt enuntiatio *inferioris* de *ſuperiori*, aut illius, quod ſe habet per modum *formæ*, de eo, quod ſe habet per modum *ſubjecti*. Sic iſta prædicatio *directa* eſt: *homo eſt animal*, ſicuti etiam iſta: *anima rationalis eſt immortalis*. Hæc vero eſt *indirecta*: *aliquod animal eſt homo*, quemadmodum etiam hæc alia: *aliquod immortale eſt anima rationalis*. Hujus autem ratio videtur eſſe, quia in priori prædicatione *prædicatum* vere & proprie in eo eſt, de quo enuntiatur; contra vero in poſteriori. *Animalitas* enim in *homine*, & *immortalitas* in *anima rationali*, non autem viciſſim, continetur.

VII.

180. Propoſitionem, in qua *explicite* habentur *ſubjectum*, *prædicatum*, & *copula*, de *tertio adjacente* vocant Dialectici; eam vero de *ſecundo adjacente* appellant, cujus *prædicatum*, vel *ſubjectum* in verbo latet. Sic de *tertio adjacente* eſt hæc propoſitio: *homo eſt animal*; contra vero de *ſecundo* hæc alia: *ego cogito*. Quod ſi tam *ſubjectum*, quam *prædicatum* per verbum exprimatur, de *primo adjacente* ab iiſdem dicitur propoſitio, ut hæc: *cogito*. Verum inanem & nugatoriam cenſendam illam eſſe putat Cl. Facciolatus (a), propterea nimirum quia una eademque res ſibi ipſi adjacere nequaquam poſſit.

AR-

(a) P. II. *Inſtit. Logic.* cap. 1.

ARTICULUS I.

Diviſio propoſitionis ratione formæ.

I.

181. FOrma propoſitionis ſunt *affirmatio*, & *negatio*. His enim, ut ex modo dictis manifeſtum eſt, tota propoſitionis natura continetur. Propoſitio itaque ratione *formæ* in *affirmantem*, & *negantem* dividitur. *Affirmans* eſt illa, in qua *prædicatum ſubjecto* adjungitur, ut cum dico: *Deus eſt juſtus*. *Negans* vero, in qua *prædicatum* a *ſubjecto* removetur, ut cum dicitur: *Deus non eſt mendax*.

II.

182. Propoſitio *affirmans* fit *negans* per particulam *non*, copulæ præpoſitam, eamque afficientem. Negatio quippe non deſtruit, niſi id, quod immediate afficit. Iſta proinde propoſitio: *homo eſt non albus* non eſt *negativa*, ſed *affirmativa* de *prædicato infinito*; negatio enim *albedinis* de homine, ut patet, *affirmatur*. Porro pro dignoſcendo valore propoſitionis tam *negantis*, quam *affirmantis*, ſequentes regulæ tradi ſolent.

REGULA I.

183. *Attributum in propoſitione affirmativa dicitur de ſubjecto ſecundum ea omnia, quæ in notione ipſius prædicati continentur*. Sic dum ajo, *Petrus eſt homo*, affirmo de *Petro*, quidquid in idea *hominis* continetur.

REGULA II.

184. *In propoſitione negativa non removetur a ſubjecto, quidquid relucet in idea prædicati diviſim ab aliis ſumtum, ſed tota collectio eorum, quæ in ipſius prædicati notione continentur*. Sic in hac propoſitione: *Lapis non eſt vivens*, non negatur de lapide ratio *ſubſtantiæ*, quæ continetur in *vivente*, ſed ipſa ratio *viventis*, quatenus eſt unum aliquid conſurgens ex ratione *ſubſtantiæ*, & ex differentia *vitalitatis*.

RE-

REGULA III.

185. *Attributum in propoſitione affirmativa ſumitur ſecundum tantam præciſe extenſionem, quantam in ipſa propoſitione habet ſubjectum.* Extenſio enim *prædicati* non poteſt in propoſitione *affirmativa* excedere extenſionem *ſubjecti*, cum in ipſa propoſitione id dicatur de *ſubjecto*, quod in illius notione continetur (§. 169.); neque poteſt ab extenſione *ſubjecti* deficere, quippe tunc *prædicatum* iis omnibus haudquaquam competeret, quæ, ſecus ac ipſa exprimat propoſitio, ſubjecti extenſio comprehendit. Hinc

REGULA IV.

186. *Si extenſio prædicati abſolute ſumti major fuerit extenſione ſubjecti, prædicatum non ſumitur in propoſitione ſecundum integram ſuam extenſionem, ſed ſecundum partem dumtaxat*, ſcilicet *ſecundum tantam, quæ ſubjecti extenſionem adæquet.*

REGULA V.

187. Quamobrem, per ſe loquendo, *prædicatum in propoſitione affirmativa ſemper ſumitur particulariter.* In prædicatione namque *directa* magis univerſale enuntiatur de eo, quod minus univerſale eſt (§. 179.). Dixi: *per ſe loquendo*, nempe ratione *formæ*. Non enim inficior, contingere poſſe ratione *materiæ*, atque adeo nonniſi *per accidens*, ut *prædicatum* ſecundum integram ſuam extenſionem in propoſitione *affirmativa* ſumatur, ſi illa nimirum tanta præciſe fuerit, quanta eſt extenſio *ſubjecti*, de quo enuntiatur.

REGULA VI.

188. *Attributum in propoſitione negativa removetur ab omni eo, quod continetur in extenſione ſubjecti.* Sic in hac propoſitione: *nullus homo eſt lapis*, ratio *lapidis* negatur de quolibet homine.

REGULA VII.

189. *Attributum in propoſitione negativa ſemper ſumitur ſecundum integram ſuam extenſionem, nempe univerſaliter.* Non enim ratio *vi-*

ven-

ventis negari poteſt de *lapide*, quin ea omnia a *lapide* removeantur, quæ ſunt ſub idea *viventis*; alioquin lapis eſſet ſimul *vivens*, & *non vivens*, ut eſt manifeſtum.

ARTICULUS II.

Diviſio propoſitionis ratione qualitatis.

I.

190. QUalitas propoſitionis ſunt *veritas*, & *falſitas*. Ratione igitur *qualitatis* in *veram*, & *falſam* propoſitio dividitur. *Vera* dicitur propoſitio, ſi illius objectum ita ſit reipſa, ſicuti in propoſitione enuntiatur; *falſa* vero, ſi aliter ac ipſa exprimat propoſitio, objectum ſe habeat. *Verum eſt*, inquit Cl. Petrus Gaſſendus ex Epicuro *quod ita ſe habet, ut ſe habere dicitur; falſum, quod ut ſe habere dicitur, non ita ſe habet* (a). Sic iſta propoſitio eſt vera: *homo eſt animal*; hæc vero eſt falſa: *belluæ ratione donantur*, quia *animalitas* reipſa in homine eſt, *ratio* vero nequaquam in belluis.

II.

191. Si propoſitio non ad res, ſed ad internum loquentis judicium referatur, homo *verax* eſt, aut *mendax*. *Verax* nimirum eſt homo, ſi ita loquatur, ut intus judicat, ſeu ſi externa illius propoſitio interno ejuſdem judicio plane reſpondeat. Eſt vero *mendax*, ſi aliter loquatur, ac corde ſentiat. *Mendacium* quippe ex D. Auguſtino eſt *enuntiatio cum voluntate falſum enuntiandi* (b), ſive *falſa ſignificatio cum voluntate fallendi* (c).

III.

192. Fieri idcirco poteſt, ut quis falſum dicat, quin mentiatur, ſi nimirum putet, verum eſſe, quod dicit; & poteſt etiam fieri, ut quis dicat verum, ſimulque mendax ſit, ſi nimirum intus pro falſo habeat, quod ore verum eſſe pronuntiat. *Nemo ſane*, inquit S. Auguſtinus, *mentiens judicandus eſt, qui dicit falſum, quod putat verum, quoniam, quantum in ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur.* Ideo

(a) Syntagm. *Philoſophiæ* Epicuri P. I. cap. 1.
(b) Lib. de *mendacio* n. 4., *alias* cap. 4.
(c) Lib. contra *mendacium* n. 26., *alias* cap. 12.

Digitized by Google

Ideo itaque non mendacii, ſed aliquando temeritatis arguendus eſt, qui falſa incautius credita pro veris habet. Potius e contrario, quantum in ipſo eſt, ille mentitur, qui dicit verum, quod putat falſum. Quantum enim ad animum ejus attinet, quia non quod ſentit, hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur eſſe, quod dicit; nec ullo modo liber eſt a mendacio, qui ore neſcius, verum loquitur, ſciens autem, voluntate mentitur. Non conſideratis igitur rebus ipſis, de quibus aliquid dicitur, ſed ſola intentione dicentis, melior eſt, qui falſum dicit neſciens, quoniam id verum putat, quam qui mentiendi animum ſciens gerit, neſciens verum eſſe, quod dicit. Ille namque non aliud habet in animo, aliud in verbo; huic vero, qualecunque per ſe ipſum ſit, quod ab eo dicitur, aliud tamen clauſum in pectore, aliud in lingua promptum eſt; quod malum proprium eſt mentientis (a).

ARTICULUS III.

Diviſio propoſitionis ratione materiæ circa quam.

193. MAteria propoſitionis *circa quam* ſunt res, in quibus mens judicio ſuo verſatur. Hujus itaque ratione dividitur propoſitio primo in *neceſſariam*, & *contingentem*. Secundo in *eſſentialem*, & *accidentalem*. Tertio in *mediatam*, & *immediatam*. Poſtremo in *identicam*, & *formalem*.

I.

194. Propoſitio dicitur eſſe in *materia neceſſaria*, quando *prædicatum* neceſſario convenit *ſubjecto*, ſi propoſitio ſit affirmativa; vel illi repugnat, ſi ſit negativa. Dicitur vero in *materia contingenti*, quando habitudo *prædicati* ad *ſubjectum* omnino contingens eſt, adeo nempe ut nulla in eo ſit repugnantia, quod *ſubjectum* aliter reipſa ſe habeat, ac in propoſitione enuntiatur. Sic in *materia neceſſaria* eſt iſta propoſitio: *homo eſt rationalis*; hæc vero in *materia contingenti*: *Petrus eſt doctus*; quia rationalitas *neceſſario* homini convenit; at nonniſi *contingenter* Petro ineſt doctrina.

195.

(a) In *Enchiridion* n. 6. *alias* cap. 18.

Digitized by Google

I I.

195. Propoſitio *eſſentialis* ea eſt, in qua *prædicatum* eſt de *eſſentia ſubjecti*, ut *homo eſt animal rationale*. *Accidentalis* vero, in qua *prædicatum* ad *ſubjecti eſſentiam* non ſpectat, ut *Petrus eſt doctus*.

I I I.

196. Propoſitio *mediata* dicitur illa, in qua *prædicatum* non competit *ſubjecto*, niſi ratione alterius attributi, quod primo in ipſo *ſubjecto* continetur. Ea vero *immediata* vocatur, in qua *prædicatum* ita convenit *ſubjecto*, ut aliud aſſignari nequeat, ratione cujus illud ipſi ſubjecto conveniat. Sic *immediata* eſt hæc propoſitio: *homo eſt rationalis*, quia nihil habetur in homine, ratione cujus ei competat *rationalitas*. At vero iſta *mediata* eſt: *homo eſt admirativus*; quia homo non eſt hujuſmodi, niſi quia ratione donatur. Omnis itaque propoſitio *eſſentialis* eſt *immediata*, cum in unaquaque re illud ſit primum, quod ad illius *eſſentiam* pertinet.

I V.

197. Propoſitio *identica* eſt illa, in qua prædicatum nullo prorſus modo differt a ſubjecto, ut cum dicitur: *homo eſt homo*. *Formalis* vero ea eſt, in qua prædicatum per modum *formæ* ſubjectum ipſum reſpicit, cujuſmodi ſunt: *homo eſt rationalis*; *Petrus eſt doctus* &c.

ARTICULUS IV.

Diviſio propoſitionis ratione modi prædicandi.

I.

198. RAtione *modi prædicandi*, ut ajunt Scholæ, propoſitio vel *abſoluta* eſt, vel *modalis*. *Abſoluta* dicitur propoſitio, ſi minime in illa exprimatur modus, quo *prædicatum* ſe habet ad *ſubjectum*. *Modalis* vero, ſi modus huiuſmodi palam in ipſa propoſitione fiat. Sic hæc eſt *modalis*: *Petrus contingenter eſt doctus*; at vero *abſoluta* hæc alia: *Petrus eſt doctus*. Modi autem ſunt *neceſſarium*, *contingens*, *poſſibile*, & *impoſſibile*; unde dicitur: *homo* neceſſario *eſt* *ra-*

rationalis, contingenter *doctus*, poſſibiliter *albus*, impoſſibiliter *innibilis*.

I I.

199. Duo igitur in *modali* propoſitione ſunt diſtinguenda, *modus* ſcilicet, & *dictum*. *Dictum* eſt abſoluta ipſa propoſitio. *Modus* vero eſt determinatio habitudinis *prædicati* ad *ſubjectum* in ipſa propoſitione expreſſa. Porro cum *modus* enuntietur de *dicto*, *modus* in propoſitione modali habet rationem *prædicati*, & *dictum* rationem *ſubjecti*. Perinde eſt enim: *Petrus contingenter eſt albus*, ac: *contingens eſt, Petrum eſſe album*.

I I I.

200. Hinc *affirmatio*, & *negatio*, *veritas*, & *falſitas* in propoſitionibus modalibus attendi debent penes *modum*, non penes *dictum*. *Affirmativa* nimirum eſt propoſitio *modalis*, ſi *modus* conjungatur *dicto*; eſt vero *negativa*, ſi *modus* a *dicto* removeatur. *Vera* ſimiliter eſt, ſi *prædicatum* eo modo reipſa ſe habeat ad *ſubiectum*, quo ad illud ſe habere, in propoſitione dicitur; contra autem *falſa*, ſi aliter ad illud reipſa ſe habeat. Sic *affirmativa* eſt, & *vera*: *neceſſe eſt, animam rationalem non eſſe ſubſtantiam corpoream*; at *negativa*, & *falſa*: *non eſt contingens, hominem eſſe doctum*; quamvis in illa *dictum* ſit propoſitio negativa, in hac vero affirmativa.

ARTICULUS V.

Diviſio propoſitionis ratione materiæ ex qua.

201. MAteria propoſitionis *ex qua* ſunt termini, quibus illa componitur. Hujus itaque ratione dividitur propoſitio in *ſimplicem*, & *compoſitam*. *Simplex* propoſitio dicitur illa, quæ uno conſtat *ſubjecto*, & uno *prædicato*, quæque propterea ita eſt una, ut in plures reſolvi nequeat, cujuſmodi ſunt: *Deus eſt juſtus*: *homo eſt animal* &c. *Compoſita* vero ea eſt, quæ ex pluribus conſurgit, in quas poteſt reſolvi. Porro ſi compoſitio ſit perſpicua & manifeſta, propoſitio *explicite compoſita* dicitur; ſi vero paulo obſcurior ſit, *implicite compoſita* nuncupatur.

Propoſitiones explicite compoſitæ.

202. Propoſitionum *explicite compoſitarum* ſex potiſſimum numerantur ſpecies, videlicet *conditionalis*, *copulativa*, *disjunctiva*, *cauſalis*, *diſcreta*, & *relata*.

De propoſitione conditionali.

203. Propoſitio *conditionalis*, ſive *hypothetica*, dicitur illa, quæ ex duabus propoſitionibus conſtat ſimul per particulam *ſi* unitis; ut: *ſalvabitur peccator*, *ſi pœnitentiam egerit*. Pars, quæ afficitur particula *ſi*, vocatur *antecedens* propoſitionis *conditionalis*; altera vero dicitur ejuſdem *conſequens*. Porro *conditionali* propoſitioni ea opponitur, quam Logici *categoricam* vocant, quatenus ſcilicet *prædicatum* in ea enuntiatur de ſubjecto, nulla poſita conditione, ut: *ſalvabitur juſtus*.

REGULA I.

204. *Veritas propoſitionis conditionalis non a veritate partium, ſed a recta illarum conjunctione unice dependet.* Nimirum vera eſt *conditionalis* propoſitio, ſi verum eſſe nequeat *antecedens*, quin verum ſit *conſequens*, licet utrumque, ſi *abſolute* ſpectetur, prorſus fallat. Sic iſta eſt vera: *ſi aſtra reſpirant*, *vita donantur*; quia carere nequit vita, quod reſpirandi virtute præditum eſt. At e contrario hæc eſt falſa: *ſi Petrus currit*, *eſt albus*; quia ex poſitione curſus minime ſequitur, Petrum *albedine* donari.

De propoſitione copulativa.

205. Propoſitio *copulativa*, ſive *conjuncta*, eſt illa, cujus partes copulantur per particulam *&*, *atque*, *nec* &c. Hujuſmodi eſt illud Ovidii:

> *Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur*
> *Majeſtas & amor* (a).

REGULA II.

206. *Ad veritatem copulativæ propoſitionis requiritur, ut ſingulæ illius*

(a) Lib. II. *Metamorph.* v. 848.

Digitized by Google

lius partes ſint vera. Nam, ut egregie advertit Aulus Gellius, *in omni conjunctio, ſi unum eſt mendacium, etiamſi cetera vera ſint, totum eſſe mendacium, dicitur* (a). Hæc propterea eſt falſa: *cœlum planetarum diaphanum eſt, & ſolidum*; quia licet cœlum, in quo planetæ moventur, *diaphaneitate* præditum ſit, *duritie* tamen, ſive *ſoliditate*, non gaudet.

De propoſitione disjunctiva.

207. Propoſitio *disjunctiva*, ſeu *disjuncta*, ea eſt, cujus partes ſimul uniuntur per particulam *vel*, *aut* &c. Talis eſt illa Auli Gellii: *aut malum eſt voluptas, aut bonum, aut neque bonum eſt, neque malum* (b).

REGULA III.

208. *Ut vera ſit propoſitio disjunctiva, una tantum disjunctionis pars debet eſſe vera*. Enimvero *in disjunctione*, quemadmodum advertit Tullius, *plus uno verum eſſe non poteſt* (c). Partes enim *disjunctivæ propoſitionis* ea ratione ſibi mutuo adverſari debent, ut nullum admittant medium, quod in ipſa propoſitione diſtincte non exprimatur. Hinc laudatus Gellius, *quod ſi*, inquit, *aut nihil omnium verum, aut omnia, plurave, quam unum, vera erunt, aut, quæ disjuncta ſunt, non pugnabunt, aut, quæ oppoſita eorum ſunt, contraria inter ſe non erunt, tunc id disjunctum mendacium eſt* (d). Hæc proinde eſt falſa: *omnis humana actio aut bona eſt, aut mala*; cum plurimorum ſententia, detur actio *indifferens*.

De propoſitione cauſali.

209. *Cauſalis* propoſitio dicitur illa, cujus membra ſunt ſimul unita per particulam cauſalem *quia*, vel aliam hujuſmodi, ut illa Senecæ: *Vitia noſtra, quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quam excutere* (e).

REGULA IV.

210. *Ad veritatem cauſalis propoſitionis neceſſe eſt, ut pars cauſali particula affecta, ſit vere ratio, ſive cauſa, cur altera pars ſit vera*. Sic ve-

(a) Lib. XVI. *Noctium Atticarum* cap. 8
(b) Ibidem cap. 8.
(c) *Topic.* cap. 14.
(d) Loco citato.
(e) *Epiſt.* 117.

vera eſt laudata Senecæ propoſitio; quia amor, quo vitia noſtra proſequimur, vere cauſa eſt, cur ea defendamus. At e contrario hæc eſt falſa: *homo vivit, quia eſt ſubſtantia*; cum ratione *ſubſtantiæ* non habeat homo, ut vivat.

De propoſitione diſcreta.

211. Propoſitio *diſcreta* eſt illa, cujus partes ſimul copulantur per particulas adverſantes *ſed, verum, tamen* &c. Hujuſmodi eſt illa Senecæ: *Voluptatem natura neceſſariis rebus admiſcuit, ut non illam peteremus, ſed, ut ea, ſine quibus non poſſumus vivere, gratiora nobis illius faceret acceſſio* (a).

REGULA V.

212. *Veritas diſcretæ propoſitionis dependet non ſolum a veritate ſingularum partium, verum etium a veritate adhibitæ diſcretionis.* Hæc proinde falſa eſt. *Sol eſt corpus lucidum, neque tamen eſt animatum*; quia non eſt inconveniens, ut Sol ſit anima deſtitutus, ſimulque ingenti ſplendore refulgeat.

De propoſitione relativa.

213. *Relativa*, ſive *relata* propoſitio eſt illa, cujus una pars ad alteram refertur, vimque ab illa deſumit. Hujuſmodi eſt celebre illud Thaletis: *Qualem gratiam parentibus tuis retuleris, talem a liberis tuis expecta.*

REGULA VI.

214. *Veritas hujuſce propoſitionis ab accurata comparatione dependet*: Unde hæc eſt falſa: *Tanta molis eſt Sol, quanta nudis oculis cernitur.*

Propoſitiones implicite compoſitæ.

215. Quatuor potiſſimum ſunt propoſitionum *implicite compoſitarum* ſpecies, videlicet *excluſiva, exceptiva, comparativa*, & *reduplicativa*. Eç porro propoſitiones, in quas illa reſolvitur, ejus *exponentes* dicuntur.

De

(a) *Epiſt.* 117.

De propoſitione excluſiva.

216. Propoſitio *excluſiva* dicitur illa, cujus *ſubjectum*, vel *prædicatum* particula excluſiva *tantum*, *dumtaxat*, *ſolum* &c. affectum eſt. Si hujuſmodi particula afficiat *ſubjectum*, omnia alia ab illo diverſa excluduntur a participatione *prædicati*. Si vero cadat in *prædicatum*, ſenſus eſt, nullum aliud *prædicatum* ab illo diverſum eodem modo a ſubjecto reſpici, eique convenire. Sic in hac propoſitione *ſolus Deus eſt immenſus*, immenſitas ita Deo tribuitur, ut aliis omnibus denegetur. In hac vero: *ſonum dumtaxat auditus percipit*, omnes aliæ *qualitates ſenſibiles* cenſentur hujuſmodi, ut per *auditum* percipi haudquaquam poſſint. *Excluſiva* idcirco propoſitio in duas reſolvitur, quarum una affirmativa eſt, altera negativa. Sic illa propoſitio: *ſolus Deus eſt immenſus*, in has reſolvitur: *Deus immenſus eſt*, & *nullum aliud ens a Deo eſt immenſum*.

REGULA VII.

217. *Veritas excluſivæ propoſitionis poſtulat, ut ſingula illius exponentes ſint vera.* Patet ex natura particulæ excluſivæ.

De propoſitione exceptiva.

218. *Exceptiva* dicitur propoſitio, in qua per particulam *præter*, vel aliam hujuſmodi, aliqua ſub illius *ſubjecto* contenta a participatione *prædicati* excipiuntur. Talis eſt iſta: *omnis homo ſalvabitur, præter iniquos*. Hæc in duas quoque reſolvitur, in *affirmativam* ſcilicet, & *negativam*, ut de *excluſiva* modo diximus.

REGULA VIII.

219. *Hujus itidem propoſitionis veritas exigit, ut ſingula illius exponentes ſint vera.* Etenim, ſi ſecus, fallit exceptio.

De propoſitione comparativa.

220. *Comparativa* propoſitio dicitur illa, in qua *prædicatum* enuntiatur ſecundum aliquem gradum de *ſubjecto* per comparationem ad aliud, cui illud prædicatum *ſimpliciter* tribuitur. Hujuſmodi eſt illa

 Tha-

Thaletis: *omnium difficillimum eſt, noſſe ſeipſum*. In duas propoſitiones idcirco hæc itidem reſolvitur, in quarum una *prædicatum* tribuitur ſubjecto *ſimpliciter*, in altera vero enuntiatur de ſubjecto *ſecundum magis*, vel *minus*. Sic illa Thaletis per has exponitur: *omnis rerum cognitio difficilis eſt*, ſed *maxime difficilis eſt cognitio ſui*.

R E G U L A IX.

221. *Ut propoſitio comparativa ſit legitima, prædicatum, penes quod duo inter ſe comparantur, debet utrique convenire*. Hæc propterea eſt illegitima: *columba eſt candidior corvo*; cum ſcilicet nihil prorſus *albedinis* in corvo reperiatur.

S C H O L I O N.

222. Loquor in rigore Logico. Non enim me latet, in ſacra potiſſimum Scriptura, atque a SS. Patribus comparationem plerumque fieri inter duo penes attributum, quod non ſolum uni illorum *ſimpliciter* non ineſt, verum etiam quod ei interdum repugnat (a).

De propoſitione reduplicativa.

223. *Reduplicativa* demum propoſitio ea eſt, in qua per particulam *quatenus*, *prout* &c. id de *ſubjecto* indicatur, ratione cujus *prædicatum* illi convenit, vel repugnat; ut cum dicitur: *Sol, quatenus lucidus, calefacit*. Significatur enim, lumen in Sole eſſe rationem, cur calorem Sol ipſe producat.

R E G U L A X.

224. *Veritas reduplicativæ propoſitionis exigit, ut attributum, quod particula reduplicativa afficitur, ſit vere ratio, cur prædicatum conveniat ſubjecto, vel illi repugnet*. Hæc idcirco falſa eſt: *homo ratiocinatur, quatenus animal*; quia *animalitas* non eſt ratio, cur homo ratiocinetur.

De propoſitione incidente.

225. *Incidens* vocatur propoſitio, quæ per pronomina relativa *qui*, *quæ*, *quod* exprimitur, alterique jungitur, quæ *principalis* nuncupatur,

(a) Videatur *Ars cogitandi* P. II. cap. 10.

tur, ut in hac apparet: *Chriſtus, qui eſt filius Dei, pro omnibus mortuus eſt*. Porro *incidens propoſitio* vel explicat *ſubjectum* propoſitionis *principalis*, ut cum dicitur: *homo, qui eſt animal rationale, capax eſt beatitudinis*; vel *ſubjectum* ipſum determinat, ut cum dicitur: *homines, qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur*. Si *incidens propoſitio* determinet *ſubjectum* propoſitionis *principalis*, vera hæc eſſe nequit, niſi illa quoque ſit vera; minime vero, ſi *explicativa* tantum ſit, eaque nonniſi ad copiam atque ornatum vere pertineat.

ARTICULUS VII.

Diviſio propoſitionis ratione quantitatis.

226. QUantitas propoſitionis eſt extenſio, quam in ipſa propoſitione habet ſubjectum. Hujus idcirco ratione dividitur propoſitio in *univerſalem, particularem, indefinitam*, & *ſingularem*. Propoſitio *univerſalis* eſt illa, cujus *ſubjectum* eſt terminus communis affectus ſyncategoremate *omnis*, vel *nullus*, ut: *omnis homo eſt animal: nullus lapis eſt vivens*. Si *ſubjectum* ſupponat pro omnibus & ſingulis ſuis inferioribus, adeo ut ne unum quidem excipiatur, propoſitio dicitur univerſalis *univerſalitate metaphyſica*, cujuſmodi eſt iſta: *omnis homo eſt rationis capax*. Contra vero dicitur univerſalis *morali* dumtaxat *univerſalitate*, ſi ſupponat tantum pro fere omnibus, ut in illa Horatii:

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum, cantare rogati,
Injuſſi nunquam deſiſtant (a).

Propoſitio *particularis* ea eſt, cujus *ſubjectum* eſt terminus quidem communis, ſed cum ſit affectus ſyncategoremate *aliquis*, *quidam* &c. nonniſi pro uno individuo, vago tamen, ac prorſus indeterminato, ſupponit, ut: *aliquis homo eſt doctus*. *Indefinita*, cujus ſubjectum eſt terminus communis nullo ſyncategoremate affectus, ut: *homo vivit*. *Singularis* demum, cujus ſubjectum terminus ſingularis eſt, ut *Petrus eſt Apoſtolorum princeps*; *hic homo ſalvabitur* &c.

REGULA I.

227. *Propoſitio indefinita in materia neceſſaria æquivalet univerſali univerſalitate metaphyſica*. Quod enim neceſſario convenit; vel repugnat

(a) Satyra 3.

gnat uni individuo alicujus ſpeciei, ineſt quoque, vel repugnat omnibus & ſingulis individuis, quæ in illius extenſione continentur.

REGULA II.

228. *Propoſitio indefinita in materia contingenti æquivalet particulari, vel univerſali univerſalitate dumtaxat morali.* Sic iſta: *homo eſt albus* æquivalet huic: *aliquis homo eſt albus*; quemadmodum etiam iſta: *juvenes ſunt inconſtantes*, eadem cum illa eſt: *omnes fere juvenes ſunt inconſtantes*. Quod enim contingenter convenit uni individuo, taliter illi ineſt, ut ſimul alteri non ineſſe poſſit & reapſe non inſit.

REGULA III.

229. *Propoſitio univerſalis univerſalitate metaphyſica nequit eſſe vera, quin ſit vera etiam particularis ſub illa contenta.* In hac enim ne unum quidem eorum, quæ in extenſione *ſubjecti* continentur, a *prædicati* participatione excipitur (§.226.)

REGULA IV.

230. *At vero propoſitio univerſalis morali tantum univerſalitate poteſt eſſe vera, quin ſit vera ſingularis, quæ ſub illa contineri videtur.* Id enim ex eo neceſſario ſequitur, quod univerſalis hujuſmodi propoſito exceptionem admittat (§.226.)

SECTIO QUARTA.

De oppoſitione propoſitionum.

231. PRopoſitionum oppoſitio eſt duarum propoſitionum, idem *ſubjectum*, idemque *prædicatum* habentium, diſconvenientia vel penes *formam* tantum, quatenus ſcilicet earum una eſt *affirmativa*, altera *negativa*; vel tantum penes *quantitatem*, quatenus nempe una eſt *univerſalis*, & altera *particularis*; vel demum penes *quantitatem* ſimul, atque *formam*, ut ſi nimirum una ſit *univerſalis*, & *affirmativa*, altera vero *particularis*, & *negativa*. Quatuor porro inter propoſitiones numerantur *oppoſitionum* ſpecies, ſcilicet *contradictoria*, *contraria*, *ſubcontraria*, & *ſubalterna*.

Op-

Oppoſitio propoſitionum contradictoria.

I.

232. Propoſitiones *ſimplices* de *termino communi* opponuntur *contradictorie*, quæ penes *formam*, & *quantitatem* inter ſe diſconveniunt. Sic *contradictorie* oppoſitæ ſunt: *omnis homo eſt animal*, & *aliquis homo non eſt animal*; ſicuti etiam *nullus homo eſt vivens*, & *aliquis homo eſt vivens*.

I I.

233. Propoſitiones *ſingulares* ſunt *contradictorie* oppoſitæ, quæ penes *formam* ſibi mutuo adverſantur; ut: *Petrus eſt doctus*, *Petrus non eſt doctus*.

I I I.

234. Inter propoſitiones *compoſitas* habetur *contradictoria* oppoſitio, ſi illi grammaticali particulæ, a qua illarum compoſitio deſumitur, *negatio* præfigatur. Sic huic propoſitioni conditionali: *ſi homo reſpirat, vivit*, contradictorie hæc alia opponitur: *non ſi homo reſpirat, vivit*. Sunt tamen aliquæ, quibus non uno modo contradici poteſt, ut conſideranti patebit.

I V.

235. In propoſitionibus *modalibus* attenditur contradictio non penes *dictum*, ſed penes *modum*. Quoniam vero etiam ipſi *modi*, nimirum *neceſſe*, & *contingens*, ſicuti etiam *poſſibile*, & *impoſſibile*, ſunt inter ſe *contradictorie* oppoſiti, ideo dupliciter hiſce propoſitionibus contradici poteſt, primo ſcilicet, ſi mutetur *modus*; ſecundo, ſi particula *non* eidem *modo* in propoſitione præfigatur. Sic contradictorie adverſantur ſibi mutuo tam duæ: *hominem eſſe album, eſt contingens*; *hominem eſſe album, eſt neceſſe*; quam duæ: *hominem eſſe album, eſt contingens*; *hominem eſſe album, non eſt contingens*.

Lex propoſitionum contradictorie oppoſitarum.

236. *Propoſitiones contradictorie oppoſitæ nequeunt eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa, ſed una determinate vera eſt, altera falſa.* Enimvero cum inter attributa *contradictorie* oppoſita non detur medium, quod vel

vel utrumque excludat, vel de utroque participet (§. 108.), eorum alterum neceſſario cuique convenit; atque adeo altera propoſitionum *contradictorie* oppoſitarum neceſſario vera eſt, & altera falſa.

Oppoſitio propoſitionum contraria.

237. *Oppoſitio contraria* eſt diſconvenientia duarum propoſitionum univerſalium penes *formam*, quatenus nempe una eſt affirmativa, altera negativa. Sic *contraria* eſt oppoſitio duarum: *omnis homo eſt albus; nullus homo eſt albus.*

Leges propoſitionum contrarie oppoſitarum.

I.

238. *Propoſitiones contrarie oppoſitæ in nulla materia poſſunt eſſe ſimul vera, ſed ſi earum una vera eſt, altera eſt falſa.* Cum enim nequeat eſſe vera propoſitio univerſalis, quin ſit vera particularis ſub illa contenta (§. 229.) ſi iſta eſſet vera: *nullus homo eſt albus*, hæc quoque vera eſſet: *aliquis homo non eſt albus*. Ergo duæ: *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus*, non poſſunt eſſe ſimul veræ, niſi ſimul quoque veræ ſint: *omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus.* Hæ autem *contradictorie* opponuntur (§. 232.). Ergo duæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ, ſi veræ ſimul eſſent duæ contrariæ. Illud autem fieri nequit (§. 236.). Ergo duæ contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ.

II.

239. *Propoſitiones contrariæ in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul falſæ.* Ut enim hæc ſit falſa: *omnis homo eſt albus*, ſatis eſt, ut *aliquis homo non ſit albus.* Hæc ſimiliter falſa eſt: *nullus homo eſt albus*, ſi hæc ſit vera: *aliquis homo eſt albus.* Manifeſtum eſt autem, poſſe ſimul eſſe verum, *aliquem hominem non eſſe album*, & *aliquem hominem eſſe album*; cum, quod contingenter convenit ſpeciei, poſſit ineſſe uni individuo, & ſimul non ineſſe alteri. Ergo poteſt eſſe falſa tam univerſalis affirmativa: *omnis homo eſt albus*, quam univerſalis negativa: *nullus homo eſt albus*; ac proinde in materia contingenti propoſitiones contrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ.

III.

240. *At vero in materia neceſſaria propoſitiones contrariæ ſic ſe habent, ut una vera ſit, altera falſa.* In nulla enim materia propoſitiones contrariæ poſſunt eſſe ſimul veræ (§. 238.). Conſtat autem, eas, ſi fuerint in materia neceſſaria, non poſſe eſſe ſimul falſas; cum, quod neceſſario convenit uni individuo, neceſſario omnibus & ſingulis competat, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei; ac proinde nequeat eſſe falſa tam particularis affirmativa, quam particularis negativa, quemadmodum neceſſario requiritur (§. 239.), ut falſæ ſimul ſint, quæ ſibi mutuo *contrarie* adverſantur. Ergo &c.

Oppoſitio propoſitionum ſubcontraria.

241. *Oppoſitio ſubcontraria* eſt pugna duarum propoſitionum particularium penes *formam*, quatenus nempe una affirmativa eſt, & altera negativa. Sic adverſantur ſibi mutuo *ſubcontrarie* duæ: *aliquis homo eſt albus; aliquis homo non eſt albus.*

Leges propoſitionum ſubcontrarie oppoſitarum.

I.

242. *Propoſitiones ſubcontrariæ in nulla materia poſſunt eſſe ſimul falſæ.* Si namque poſſent eſſe ſimul falſæ particularis affirmativa: *aliquis homo eſt albus*, & particularis negativa: *aliquis homo non eſt albus*, falſæ ſimul eſſe poſſent univerſalis affirmativa: *omnis homo eſt albus*, & univerſalis negativa: *nullus homo eſt albus*; atque adeo falſæ ſimul eſſent tam duæ: *omnis homo eſt albus*; *aliquis homo non eſt albus*; quam duæ: *nullus homo eſt albus*, *aliquis homo eſt albus*. Conſtat autem, tam illas, quam iſtas *contradictorie* ſibi mutuo adverſari (§. 232.). Ergo contradictoriæ eſſent ſimul falſæ. Hoc autem impoſſibile eſt (§. 236.). Ergo in nulla materia propoſitiones ſubcontrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ.

II.

243. *Propoſitiones ſubcontrariæ in materia contingenti poſſunt eſſe ſimul veræ.* Poteſt enim attributum contingenter conveniens ſpeciei, ſimul

ſimul ineſſe uni individuo, & non ineſſe alteri; ac proinde poteſt ſimul eſſe verum, *aliquem hominem eſſe album*, & *aliquem hominem non eſſe album*; cum ſcilicet albedo poſſit ſimul ineſſe Petro, & non ineſſe Paulo.

III.

244. *At vero in materia neceſſaria nequeunt propoſitiones ſubcontraria eſſe ſimul vera, ſed, ſi una vera eſt, altera eſt falſa*. Quod enim neceſſario convenit, vel repugnat uni individuo alicujus ſpeciei, convenit, vel repugnat omnibus, & ſingulis, quæ ſub illa ſpecie continentur.

COROLLARIUM.

245. Ex his liquido apparet, propoſitiones *ſubcontrarias* vel nullo modo, vel *contradictorie* ſibi mutuo adverſari. Nam vel idem numero individuum eſt ſubjectum utriuſque propoſitionis, vel non. Si primum: oppoſitio contradictoria eſt (§. 233.). Si ſecundum: nulla eſt oppoſitio (§. 231.).

Oppoſitio propoſitionum ſubalterna.

246. *Oppoſitio ſubalterna* eſt diſconvenientia duarum propoſitionum penes *quantitatem* tantum, quatenus nempe una univerſalis eſt, altera particularis, ſed utraque affirmativa, vel negativa. Hac itaque ratione oppoſitæ ſibi mutuo ſunt duæ: *omnis homo eſt albus; aliquis homo eſt albus*, ſicuti etiam duæ: *nullus homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus*. Porro univerſalis propoſitio dicitur *ſubalternans*; particularis vero, utpote ſub illa contenta, *ſubalternata* vocatur.

Leges propoſitionum ſubalterne oppoſitarum.

I.

247. *In nulla materia poteſt ſubalternans eſſe vera, quin vera quoque ſit ſubalternata*. Fieri ſiquidem nequit, ut ſit vera propoſitio univerſalis univerſalitate metaphyſica, quin ſit vera particularis ſub illa contenta (§. 229.).

II.

248. *In materia contingenti poteſt eſſe falſa propoſitio ſubalternans, quin*

quin ſit falſa propoſitio ſubalternata. Etenim poteſt ſimul eſſe vera particularis affirmativa; *aliquis homo eſt albus*, & particularis negativa: *aliquis homo non eſt albus* (§.243.). Hoc ipſo autem, quod ſit vera particularis negativa: *aliquis homo non eſt albus*, falſa eſt univerſalis affirmativa: *omnis homo eſt albus*, (§.236.) Ergo poteſt eſſe falſa ſubalternans: *omnis homo eſt albus*, quin ſit falſa ſubalternata: *aliquis homo eſt albus*.

III.

249. *Contra vero in materia neceſſaria nequit ſubalternans eſſe falſa, quin falſa quoque ſit ſubalternata*. Repugnat enim, ut in hac materia particulares ſubcontrariæ ſint ſimul veræ (§. 244.), quemadmodum requiritur, ut falſa ſit ſubalternans, quin fallat ſubalternata.

IV.

250. *In materia neceſſaria propoſitio ſubalternans ſequitur conditionem propoſitionis ſubalternatæ, ita nimirum, ut, ſi hæc eſt vera, illa quoque ſit vera, & , ſi hæc eſt falſa, illa itidem fallat*. In hac ſiquidem materia res ita ſe habet, ut, quod convenit, vel repugnat uni individuo unius ſpeciei, neceſſario inſit, vel repugnet omnibus & ſingulis, quæ ſub illa ſpecie continentur.

SECTIO QUINTA.

De propoſitionum converſione, & æquipollentia.

251. *Converſio* propoſitionis eſt illius inverſio, facta per mutationem ſubjecti in prædicatum, & prædicati in ſubjectum, quin ipſa propoſitio deſinat eſſe vera. Dividitur porro *converſio* in *ſimplicem*, & *per accidens*. *Converſio ſimplex* eſt, cum eadem manet propoſitionis quantitas. *Per accidens* vero, cum quantitas mutatur. Addunt alii tertiam *converſionis* ſpeciem, quam vocant *per contrapoſitionem*, quatenus ea fit, particulam *non* utrique propoſitionis termino præfigendo. Verum hæc nonniſi improprie dici poteſt *converſio*. Quandoquidem termini propoſitionis adeo tunc mutantur, ut eadem amplius non maneat propoſitio.

PRIN-

PRINCIPIUM FUNDAMENTALE CONVERSIONIS.

252. Dum una propoſitio in aliam convertitur, debent illius termini, ſubjectum ſcilicet & prædicatum, eandem extenſionem retinere, adeo ut, ſi in una particulariter, in altera quoque particulariter, & viciſſim, accipiantur. Etenim, ſi ſecus, eadem profecto, quemadmodum *converſio* poſtulat, non manet propoſitio.

Regula I.

253. *Propoſitio particularis affirmativa convertitur ſimpliciter, præfigendo ſcilicet notam particularitatis prædicato, quod mutatur in ſubjectum.* Sic iſta propoſitio: *aliquis homo eſt albus*, in hanc convertitur: *aliquod album eſt homo*. Etenim prædicatum in propoſitione affirmativa ſumitur particulariter (§. 187.).

Regula II.

254. *Propoſitio particularis negativa nullo modo poteſt converti*. Etenim non poteſt converti *ſimpliciter*; cum prædicatum in illa ſumatur univerſaliter (§. 189.), atque adeo mutari nequeat in ſubjectum, quin propoſitio fiat univerſalis. Neque poteſt converti *per accidens*: quia cum propoſitio ſit negativa, ſubjectum, quod in converſione mutatur in prædicatum, ſumeretur univerſaliter (§. 189.), ſecus ac antea ſumebatur, atque adeo contra ac ipſa poſtulet converſio (§. 252.).

Regula III.

255. *Propoſitio univerſalis affirmativa convertitur per accidens*, nimirum *in particularem affirmativam*. In illa quippe prædicatum ſumitur particulariter (§. 187.). Sic iſta: *omnis homo eſt animal*, in hanc optime convertitur: *aliquod animal eſt homo*.

SCHOLION.

256. Obſervandum tamen eſt, contingere poſſe, ut propoſitio univerſalis affirmativa *ſimpliciter* queat converti, ſi tanta nimirum in ea ſit extenſio prædicati, ut ſubiecti extenſionem plane adæquet; quemad-

madmodum certe accidit, cum de ſubiecto enuntiatur *definitio eſſentialis*, vel *naturalis proprietas*. Sic iſta propoſitio: *omnis homo eſt animal rationale*, optime in hanc mutatur: *omne animal rationale eſt homo*. Verum id, ut liquido apparet, locum non habet, niſi ratione materiæ.

REGULA IV.

157. *Propoſitio univerſalis negativa convertitur ſimpliciter*. Sic perinde eſt: *nullus homo eſt lapis*, ac: *nullus lapis eſt homo*. Etenim prædicatum in propoſirione negativa ſumitur univerſaliter (§. 189.).

Converſio propoſitionum modalium.

258. Propoſitiones *modales* eadem lege convertuntur, qua *non modales*, retento ipſarum *modo*. Sic iſta propoſitio: *aliquem hominem eſſe album, eſt contingens* in hanc convertitur: *aliquod album eſſe hominem, eſt contingens*.

I I.

259. *Æquipollentia* eſt reductio propoſitionum oppoſitarum ad eundem ſenſum per particulam *non*.

PRINCIPIUM FUNDAMENTALE ÆQUIPOLLENTIÆ.

260. Totum *æquipollentiæ* artificium a natura negantis particulæ dependet. Cum enim ea ſit hujuſmodi, ut totum deſtruat, quod poſt ſe invenit, ſi præfigatur *ſubjecto* propoſitionis *univerſalis affirmativæ*, eam reddit *particularem negativam*; & viciſſim, ſi præfigatur *ſubjecto* propoſitionis *particularis negativæ*, illam efficit *univerſalem affirmativam*; ſi vero *copulæ* tantum præfigatur, *affirmativam* in *negativam* mutat, ut eſt manifeſtum. Hinc ergo ſequentes regulæ deducuntur.

REGULA I.

261. *Propoſitiones contradictoriæ fiunt æquipollentes, ſi alterutrius ſubiecto particula* non *præfigatur*. Sic iſta: *omnis homo eſt albus*, æquivalet huic: *non aliquis homo non eſt albus*.

RE-

Regula II.

262. *Propoſitiones contrariæ inter ſe conciliantur, particula negativa alteriutrius copulæ præfixa.* Sic æquipollentes ſunt: *omnis homo eſt albus; nullus homo non eſt albus.*

Regula III.

263. *Propoſitiones ſubalternæ redduntur æquipollentes, mediante duplici negatione, quarum una præfixa ſit ſubiecto alterutrius, altera ejuſdem copulæ.* Sic iſta: *omnis homo eſt albus*, æquivalet huic: *non aliquis homo non eſt albus.*

Regula IV.

264. *Propoſitiones ſubcontrariæ nequeunt fieri æquipollentes.* Etenim ſi *negatio* præponatur unius *ſubiecto*, æquivalet ſuæ contradictoriæ. Si præfigatur *copulæ*, una ab altera non differt. Si vero una *negatio* præponatur *ſubiecto* propoſitionis affirmativæ, & altera ejuſdem *copulæ* præfigatur, propoſitio ipſa fit univerſalis affirmativa, ut conſideranti fiet perſpicuum.

Æquipollentia propoſitionum modalium.

265. Cum *neceſſe*, & *contingens*, *poſſibile*, & *impoſſibile* ſint modi ſibi mutuo contradictorie oppoſiti, *æquipollentes* fiunt, ſi eorum uni *negatio* præfigatur. Patet ergo, quomodo *modales* propoſitiones conciliari inter ſe mutuo poſſint. *Æquipollentes* nimirum ſunt, *omnem hominem eſſe album*, *eſt contingens*, & *omnem hominem eſſe album*, *non eſt neceſſe*: ſicuti etiam, *hominem non eſſe corporeum*, *eſt impoſſibile*; & *hominem non eſſe corporeum*, *non eſt poſſibile.*

SECTIO SEXTA.

Explicantur breviter propoſitionum cenſuræ, quæ in uſu ſunt apud Criticos.

266. Antequam ad ea exponenda tranſitus fiat, quæ menti facem præbent, ne in ferendo de propoſitionibus judicio in erro-

Digitized by Google

errorem ipſa labatur, non abs re fore credidi, eas cenſuras præmittere, paucíſque exponere, quibus illæ affici a Criticis ſolent, atque notari. Hinc enim conſtabit aperte, non tantum qualis nota propoſitioni, quæ noſtro examini judicioque ſubjicitur, inurenda ſit, verum etiam quidnam de iis, quæ hiſce notis affectæ ſunt, nobiſque occurrunt, jure ac merito ſentire debeamus. Omiſſis ergo, quæ de propoſitione *vera*, & *falſa* ſuperiori loco expoſita ſunt, profecto non repetenda,

I.

267. *Neceſſario vera* dicitur propoſitio, quæ ita eſt vera, ut falſa eſſe non poſſit. Triplex porro eſt veritatis neceſſitas in propoſitione, *metaphyſica* ſcilicet, *phyſica*, & *moralis*.

II.

268. Propoſitio dicitur *neceſſario vera metaphyſice*, quæ ita eſt vera, ut prorſus repugnet, eam eſſe falſam. Sic neceſſario verum *metaphyſice* eſt, *partem cujuſvis totius ab ipſo toto magnitudine ſuperari*; quia evidens in eo eſt contradictio, ut pars vel totum adæquet, vel illud excedat.

III.

269. *Neceſſario vera phyſice* vocatur propoſitio, quæ licet poſſit eſſe falſa, quin aliqua vel minima terminorum pugna appareat, fallere tamen nequit, ſi vires naturæ ſpectentur, atque ad illius leges propoſitio ipſa referatur. Hoc modo eſt neceſſario verum, *omne grave, ſi ſuo genio relinquatur, fore, ut deorſum ruat*. Quippe, etſi non repugnet, contrarium fieri, lex tamen naturæ non ſinit, ut contrarium contingat.

IV.

270. At vero *moraliter* tantum *neceſſario vera* cenſetur propoſitio, quæ vera quidem eſt, at non ita, ut, ſi falleret, aut violarentur naturæ leges, aut aliqua in terminis ſequeretur contradictio.

V.

271. Propoſitio dicitur *evidens*, ſeu *evidenter vera*, quæ ita vera nobis relucet, ut habitudo ipſa *prædicati* ad *ſubjectum* mentem vi-

vide percellat, ac veluti feriat. *Perſpicuitas*, inquit Tullius, *magnam habet vim, ut ipſa per ſeſe ea, quæ ſint, nobis, ita ut ſint, indicet* (a). Sic hæc propoſitio eſt evidenter vera: *neceſſe eſt, ut corrumpatur tandem, & pereat, quod ex contrariis intrinſecus conſtat*. Hujuſce enim propoſitionis veritas, perinde ac lucida quæque corpora, ipſis veluti oculis cernitur.

V I.

272. *Per ſe nota propoſitio* vocatur illa, cujus veritas ſola terminorum perceptione nobis nitide innoteſcit. Hujuſmodi eſt: *omne totum eſt majus ſua parte*. Hoc enim ipſo, quod illius termini, *totum* ſcilicet, atque *pars*, percepti a nobis ſint, vera cognoſcitur.

S C H O L I O N I.

273. Propoſitio *nota ex terminis* dicitur *axioma*, *dignitas*, *pronuntiatum*, *proloquium*, atque ab Aulo Gellio *ſententia*, *in qua nihil deſideratur* (b).

S C H O L I O N II.

274. Licet omnis *propoſitio per ſe nota* ſit *evidens*, non tamen omnis *propoſitio evidens* pro *per ſe nota* habenda eſt. Innumeræ quippe ſunt propoſitiones nobis plane evidentes, quæ tamen ex ſuis terminis nequaquam ſunt manifeſtæ. Duplex itaque propoſitionum *evidentia* eſt diſtinguenda, *immediata*, & *mediata*. Propoſitiones *evidentes immediate* ſunt illæ, quarum veritas ex ipſis terminis patet. Propoſitiones vero *evidentes* tantum *mediate* eæ omnes ſunt, quæ ex *per ſe notis* manifeſte deducuntur.

VII.

275. *Certa* vocatur propoſitio, cui mens judicio ſuo inconcuſſe firmiterque adhæret, quatenus ſcilicet adeo vera ipſi menti apparet, ut nihil prorſus falſi illi ſubeſſe arbitretur. Hinc *certitudo* potius mentis, quam propoſitionis affectio eſt; videlicet, ſi proprie loqui velimus, propoſitio non debet *certa* vocari, ſed mens ipſa *certa* de veritate propoſitionis dicenda eſt. Recte idcirco Cl. Volfius notionem

(a) Lib. IV. *qq. Accadem.* cap. 14. (b) Lib. XVI. *Noctium Atticar.* cap. 7.

nem *certi* vocat *relativam*, hujuſcemodi nempe, ut *reſpectum ad cognoſcentem involvat* (a). Et ſane, cum eadem propoſitio uni *certa* eſſe poſſit, ſimulque alteri *non certa*; nec raro accidat, ut, quod olim pro *certo* habebatur, plane *incertum* nobis deinceps fiat, inficiari nemo jure poſſe videtur, *certitudinem* ad mentem potius, quam ad propoſitionem pertinere. Fateor tamen, etiam ipſam propoſitionem *certam* in ſe dici aliquo modo poſſe, ſi nimirum *certitudo* pro objecti *immutabilitate* ſumatur. Tunc enim *certa* ea omnis propoſitio dicenda eſt, quæ *immutabiliter*, ſive *neceſſario* eſt *vera*. Itaque, ne lis fiat de nomine, *objective certa* illa propoſitio vocabitur, quæ ita eſt vera, ut propter obiecti ſui immutabilitatem atque conſtantiam falſa eſſe non poſſit. *Certa* vero *ſubjective* dicetur illa, cui firmiter adeo adhæret mens, ut de illius veritate ne leviter quidem dubitet. Porro, ſicuti propoſitio poteſt triplici modo eſſe *neceſſario vera* (§. 267.), ita triplici modo poteſt eſſe *ſubjective certa*, nimirum *metaphyſice*, *phyſice*, & *moraliter*.

VIII.

276. Propoſitio dicitur nobis *metaphyſice certa*, cum ita nobis vera apparet, ut prorſus repugnare videatur, in ea admittenda nos falli. Sic *metaphyſice* nobis *certum* eſt, quidquid, Deo revelante, cognoſcimus; quia plane repugnat, ut in eo admittendo fallamur.

IX.

277. Propoſitio dicitur nobis *certa phyſice*, cum ita nobis apparet vera, ut, ſalvis naturæ legibus, falſa eſſe non poſſit, quamvis nulla, ſi falleret, terminorum pugna ſequeretur. Hoc modo certi ſumus de combuſtione ſtuppæ, poſita illius approximatione ad ignem. Quippe ſcimus, naturæ leges minime pati, ut ſecus res ipſa contingat.

X.

278. *Moraliter* demum *certa* vocatur illa propoſitio, quæ etſi poſſit eſſe falſa, nunquam tamen fallit. Sic nonniſi *moraliter* nobis *certum* eſt, Romulum, atque Remum prima Romæ fundamenta jeciſſe. Cum enim vetuſtiſſimi omnes hac de re ſibi mutuo plane conſentiant, ne vera ipſa ſint, dubitare nequimus.

(a) Philoſ. Ration. §. 565. *Ædit. Veronenſis.*

Digitized by Google

S C H O L I O N.

279. Cavendum hoc loco quammaxime eſt, ne *propoſitio certa* cum *propoſitione evidenti* confundatur. Quamvis enim omnis *propoſitio evidens* ſit etiam *certa*, non tamen omnis *propoſitio certa* eſt *evidens*. Plura enim ſunt apprime obſcura, de quibus tamen, ne vera ſint, metuere nulla prorſus ratione debemus.

X I.

280. *Probabilis* dicitur propoſitio, quæ veritati conſentanea quidem videtur, verum non ita, ut licitum nobis nequaquam ſit de illius veritate vel leviſſime dubitare. *Probabilis erit*, inquit Tullius, *ſi in ea videbuntur ineſſe ea, quæ ſolent apparere in veritate* (a); atque, ut ait S. Auguſtinus, *probabile quando dicitur, non conſequenter eſt verum, cum ea dicantur, quæ fieri poſſunt ac ſolent; & ideo probantur, hoc eſt, approbantur, & creduntur, etiamſi facta non ſint* (b). Sic *probabilis* eſt futuritio matutinæ ſerenitatis, ſi rubens in ſero cœlum fuerit; quia, etſi non ſemper, frequentius tamen, ſerotinam cœli rubedinem matutina ejuſdem ſerenitas conſequitur.

C O R O L L A R I U M I.

281. Hinc apparet, *probabilitatem* propoſitionis, quemadmodum de ejuſdem *certitudine* diximus (§. 275.), reſpectum ad cognoſcentem involvere. Profecto plerumque accidit, ut propoſitio, quæ uni *probabilis* eſt, alteri ſimul ne leviter quidem *probabilis* videatur.

C O R O L L A R I U M. II.

282. Conſtat quoque, *probabilitatem* ſuos habere gradus. Neque enim inficiari aliquis poteſt, illam propoſitionem eſſe altera *probabiliorem*, pro qua ſtant plura ex iis, quibus neceſſario eſt opus, ut ſine ulla prorſus hæſitatione a nobis vera cenſeatur.

S C H O L I O N.

283. Hoc tamen loco animadvertere plurimum intereſt, *probabile* cum

(a) Lib. I. de *Inventione* cap. 21. (b) Lib. III. *contra Creſconium* n. 87. *alias* cap. 75.

Digitized by Google

cum *poſſibili*, ac proinde propoſitionem *probabiliter veram* cum propoſitione *poſſibiliter vera* nonniſi perperam poſſe confundi. Hæ namque toto plane cœlo ſunt inter ſe diverſæ. Etenim *poſſibiliter vera* hoc ipſo eſt propoſitio, quod res ita queat eſſe, ut in illa dicitur, quamvis neque modo ita ſit, neque unquam ita fuerit, quinimo nec ita deinceps res ipſa ſit futura; atque adeo licet propoſitio nec ſit, nec fuerit, neque unquam futura ſit vera. At vero, ut propoſitio cenſeri poſſit *probabilis*, non ſolum requiritur, ut poſſit eſſe vera, verum etiam ut veritati reipſa conſentanea videatur. Hinc S. Auguſtinus non dixit, ea eſſe *probabilia*, quæ *fieri poſſunt*, ſed quæ non ſolum *poſſunt fieri*, verum etiam *ſolent*. Itaque licet omnis propoſitio *probabilis* ſit etiam *poſſibilis*, non tamen viciſſim omnis propoſitio *poſſibilis* cenſenda *probabilis* eſt. Quoniam porro ex laudato S. Doctore duo ſunt, quæ ad verum cognoſcendum nos dirigunt, *ratio* nimirum, & *auctoritas* (a), ideo duplex propoſitionum *probabilitas*, *intrinſeca* ſcilicet una, *extrinſeca* altera, ſatis apte diſtinguitur.

XII.

284. Propoſitio dicitur *probabilis intrinſece*, quæ conſona veritati apparet propter rationem. Dicitur vero *probabilis* tantum *extrinſece*, ſi nonniſi propter auctoritatem veritati conſentire illa videatur.

XIII.

285. Contra vero *improbabilis* ea dicitur propoſitio, quæ nobis potius falſa, quam vera apparet. Sic improbabile eſt, ut homo poſitus in proximo peccandi periculo non peccet; quia, etſi quandoque contingat, illum tunc non peccare, tamen quia fere ſemper contrarium accidit, falſum potius eſt, quam verum, hominem in proximo periculo poſitum non peccaturum.

SCHOLION.

286. Sicuti propoſitio *probabilis* cum propoſitione *poſſibili* confundenda non eſt (§. 283.), ita neque *improbabilis* cum *impoſſibili* ſumi promiſcue debet.

(a) Lib. III. *contra Academ.* n. 43. *alias* cap. 20.

X I V.

287. *Dubia propoſitio* vocatur illa, quæ neque vera nobis apparet, neque falſa, quatenus nempe vel momenta, quæ eam veram evincere videntur, iis numero atque pondere æqualia omnino ſunt, quæ illam falſam oſtendunt; vel nulla prorſus ratione propoſitio ipſa fulcitur, nullaque oppugnatur. Hinc duplici modo poteſt propoſitio dici, & eſſe *dubia*, *poſitive* ſcilicet, & *negative*.

X V.

288. *Propoſitio poſitive dubia* eſt illa, pro qua, & contra quam ſtant momenta æque valida. *Dubia* vero *negative* ea eſt, pro qua nulla quidem ſtat ratio, verum neque contra illam aliqua ratio pugnat.

S C H O L I O N.

289. Quamvis omnis propoſitio *dubia* ſit *non certa*, attamen non omnis, quæ non eſt *certa*, pro *dubia* haberi debet. *Probabilis* ſiquidem propoſitio non eſt *certa*, neque tamen *dubia* cenſenda idcirco eſt.

X V I.

290. *Temeraria* cenſetur propoſitio, quæ ſine gravi fundamento aliquid aſſerit contra communem Doctorum ſententiam, ſeu, quæ nullo fulta auctore fide digno, nullaque probabili ratione freta, extra communem ſenſum vagatur.

X V I I.

291. *Hæretica* propoſitio dicitur illa, quæ *formaliter*, *directe*, & *aperte* Catholico dogmati adverſatur. Sic hæc eſt hæretica: *Chriſtus non eſt filius Dei*; quippe dogma Catholicæ Fidei eſt, *Chriſtum eſſe filium Dei*.

S C H O L I O N I.

292. Poteſt aliqua propoſitio eſſe *heretica*, quin ſit hæreticus, qui eam docuit. Ad *hæreſeos* ſiquidem notam incurrendam non ſufficit, ut tradatur doctrina, quæ Catholicæ Fidei dogmatibus contraria ſit,

ſed

ſed requiritur inſuper, ut, qui illam docet, ſciat, eam fidei adverſari, ſimulque ipſam corde teneat. Patet ex S. Auguſtino. Scribens namque S. Doctor contra Donatum, *iſtum*, inquit, *nondum hæreticum dico, niſi manifeſta ſibi doctrina Catholicæ Fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit* (a).

S C H O L I O N II.

293. Hæc cenſura, una cum iis, quæ ſequuntur, *Theologicæ* dici ſolent, quod apud Theologos in uſu ſint, atque in Summorum Pontificum Bullis, quibus iniqua dogmata proſcribuntur, ſæpiſſime occurrant.

XVIII.

294. *Erronea* dicitur *propoſitio*, quæ contraria eſt doctrinæ, non quidem expreſſe revelatæ, vel ab Eccleſia infallibili ſuo judicio definitæ, ſed quæ ex revelatis infertur, quæque propterea, ut *virtualiter revelata*, a S. S. Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus communi calculo traditur.

XIX.

295. Ea propoſitio vocatur *hæreſi*, vel *errori proxima*, quæ licet manifeſte neque *hæretica* ſit, neque *erronea*, cum *hæretica* tamen, aut *erronea* facile coincidit.

XX.

296. *Propoſitio ſapiens hæreſim*, aut *errorem* ea eſt, quæ ex aliqua circumſtantia loci, vel temporis, aut perſonæ, gravem hæreſeos, errorisve ſuſpicionem ingerit, maximamque habet apparentiam hæreſeos, vel erroris.

XXI.

297. Illa propoſitio dicitur *favere hæreſi*, aut *errori*, quæ mentem ad hæreſim, erroremve diſponit, quatenus ſcilicet fundamenta catholicorum dogmatum labefactare, eorumque vim minuere nititur; robur vero e contrario argumentis hæreticorum tribuit, eaque plurimum laudat.

 XXII.

(a) Lib. VI. *de Baptiſmo contra Donatiſtas* cap. 16.

X X I I.

298. *Schiſmatica* dicitur *propoſitio*, quæ fideles retrahit ab unitate Eccleſiæ, & ab obedientia Eccleſiaſticis Superioribus debita; atque adeo diviſioni corporis Eccleſiæ viam aperit. *Schiſma* quippe Græce, idem Latine eſt, quod *diviſio*.

X X I I I.

299. Ea vero *injurioſa* vocatur, quæ perſonam aliquam, vel ſtatum contumelia afficit. Quod ſi injuriam faciat Deo, vel Deiparæ, aut Sanctis, illis nimirum denegando debitas perfectiones, vel indebitos defectus tribuendo, *impia* dicitur, & *blaſphema*.

X X I V.

300. *Scandaloſa* cenſetur *propoſitio*, quæ fidelibus occaſionem præbet ruinæ ſpiritualis, illos ſcilicet a virtutibus, boniſque operibus retrahendo, atque ad vitia deducendo.

X X V.

301. *Piarum aurium offenſiva* ea propoſitio eſt, quæ licet nihil falſi contineat, verbis tamen minus caſtis conſtat. Quod ſi verba, quibus continetur, adeo incongrua ſint, ut, habita eorum ratione, propoſitio in malum ſenſum trahi facile queat, *male ſonans* nuncupatur.

X X V I.

302. *Propoſitio ſimplicium ſeductiva* dicitur illa, quæ, ſub ſpecie pietatis, bonique prætextu, ſimplices fidelium, ac præcipue mulierculárum, mentes ſeducit, atque ad malum trahit.

X X V I I.

303. *Captioſa* demum vocatur *propoſitio*, quæ *falſam*, *hæreticam*, aut *erroneam* doctrinam reipſa continet, quamvis doctrinam ſanam referre videatur.

SE-

SECTIO SEPTIMA.

Regulæ mentem dirigentes in ferendo judicio de rebus tam juris, quam facti: ubi Critices principia explicantur.

304. EXpoſitis propoſitionum cenſuris, reliquum eſt, ut videamus, quomodo ſe gerere debeat mens noſtra, ne in ferendo judicio de rebus tam *juris*, quam *facti* decipiatur. Eſt enim *Critica* ex Viro doctiſſimo *ars judicii ferendi de factis Hiſtoriam conſtituentibus, de Operibus ingenio partis, de eorum variis lectionibus obviis, de ſenſu, ſtylo, & auctoribus* (a).

ARTICULUS I.

Regulæ pro ferendo judicio de propoſitionibus in genere.

REGULA I.

305. N*Ulla propoſitio, ut vera, admittenda eſt, neque, ut falſa, eſt reiicienda, niſi prius illius termini nobis noti atque perſpecti optime fuerint.* Niſi enim habeatur notio clara atque diſtincta terminorum, quibus propoſitio conſtat, quemadmodum ignotus nobis tunc erit illius ſenſus, ita nos latebit prorſus, an propoſitio ipſa vera ſit, num autem falſa.

REGULA II.

306. Hinc, *ſi termini propoſitionis, de qua judicium ferendum eſt, obſcuri nobis fuerint, vel ambigui, poſtulare ab iis debemus, quibuſcum agimus, ut illos explicent, videlicet quid per eos ſignificare nobis velint, clare nitideque definiant.*

REGULA III.

307. *Si, perceptis terminis propoſitionis affirmativæ, nobis clare diſtincteque reluceat, ideam prædicati contineri in idea ſubjecti, propoſitio ſtin-*

(a) P. Honoratus a S. Maria Tom. I. *Animad. in regulas Critices* Differt. I. artic. I. Venetiis 1738.

Digitized by Google

admittenda abſolute eſt, tamquam vera. Idipſum dicito de propoſitione negativa, ſi perceptis illius terminis, nobis manifeſte conſtiterit, ideam prædicati repugnare ideæ ſubjecti. Hoc enim ipſo utraque propoſitio ex ſuis terminis perſpicua nobis eſt; atque adeo plane digna, quæ firmiſſimo aſſenſu admittatur. Repugnat enim, ut in ejuſmodi aſſenſu decipiamur; cum fieri nulla ratione poſſit, ut ea propoſitio ſit falſa, quæ plane ad evidentiam veritati concors cognoſcitur. Hinc Tullius, *ut neceſſe eſt*, inquit, *lancem in libra, ponderibus impoſitis, deprimi, ſic animum perſpicuis cedere. Nam, quomodo non poteſt animal ullum non appetere id, quod accommodatum ad naturam appareat, ſic non poteſt objectam rem perſpicuam non approbare* (a).

S C H O L I O N.

308. Aliquas eſſe propoſitiones ex ſuis termininis plane notas & evidentes, adeo manifeſtum puto, ut ſi quis id in dubium vertat, dignus mihi plane ſit, qui riſu excipiatur. Verum, quoniam hoc etiam ævo extant nonnulli, qui gloriæ ducunt, de omnibus, Scepticorum more, dubitare, primaque cognitionis principia, perinde ac putida infantiæ præjudicia, prorſus rejicere, placet, paucis hic monere cum Viro doctiſſimo, de propoſitionum *claritate* & *evidentia* judicandum non eſſe *ex hominum diſputationibus & rixis (quippe de re omni lites, præſertim verbales moveri poſſunt); ſed id demum clarum & evidens habendum eſſe, quod iis clarum & evidens apparet, qui in rerum inveſtigatione cum ſummo ſtudio & diligentia verſati ſunt, quique bona fide & cordate dicturi erant verbis, quod clam mente cogitarunt* (b). Velim quoque alte animo inſigatur, non multum cum iis eſſe laborandum. Quantumcunque enim claræ & evidentes ſint rationes, quibus contra eos utimur, nunquam fiet, ut ſe victos eſſe, ingenue fateantur. Nihil enim, teſte eodem Viro Cl., *tam nimis demonſtrari rationibus poteſt, quod negari itidem non poſſit a vehementi & obſtinato opinatore, qui etiam ea ſibi verbotenus ducet oppugnanda, quæ interius habet perſpectiſſima* (c). Sapienter itaque ſummus Orator æque ac Philoſophus Tullius, poſtquam dixit, perſpicuitatem *ſatis magnam habere vim, ut ipſa per ſeſe ea, quæ ſunt, nobis, ita ut ſint, indicet*, monet, *ut maneamus in perſpicuis firmius & conſtantius, majori quadam opus eſſe vel arte, vel diligentia, ne ab iis, quæ clara ſunt ipſa per ſeſe, quaſi præſtigiis quibuſdam & captionibus depellamur.* (d).

Re-

(a) Lib. IV. *qq. Academ.* cap. 12.
(b) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 6.
(c) Ibidem
(d) Lib. IV. *qq. Academ.* cap. 14.

Digitized by Google

Regula IV.

309. *Si, perceptis terminis propoſitionis, neque illorum connexio in propoſitione affirmativa, neque eorum pugna in propoſitione negativa, nobis clare & evidenter conſtiterit, vel neganda eſt, vel cohibendum eſt judicium, donec habitudo ipſa terminorum palam fiat.* Tunc enim ſola non ſufficit terminorum perceptio, ut propoſitio nobis vera appareat, atque adeo ut illi mens noſtra citra errandi periculum aſſentiatur.

Scholion.

310. Propoſitio ex ſuis terminis nequaquam nota triplici modo, ſeu via poteſt vera oſtendi, *ratione* ſcilicet, *experientia*, & *auctoritate*. Oſtenditur *ratione*, cum ex aliis propoſitionibus infertur, quæ ex ſuis terminis ſunt nobis perſpicuæ. Oſtenditur *experientia*, cum ex iis colligitur, quæ ſenſibus patent, eorumque uſu cognoſcuntur. Oſtenditur demum *auctoritate*, cum Dei, vel hominum teſtimonio propoſitio ipſa probatur. *Ratio* igitur, *experientia*, & *auctoritas* dicuntur *media*, quibus vera dignoſcitur propoſitio ex ſuis terminis minime nota, atque adeo quibus determinatur mens, ut hujuſcemodi propoſitionibus aſſentiatur. Inter hæc porro *media* illud habetur diſcriminis, ut clare & evidenter ea patere nobis poſſint, & plerumque pateant aperte, quæ *rationi*, & *experientiæ* innituntur; contra vero ſemper ſint obſcura, quæ nonniſi ex *auctoritate* nobis innoteſcunt. *Auctoritas* quippe rebus ipſis, quæ nobis veræ per eam exhibentur, plane extrinſeca eſt, ac proinde minime apta, ut per eam, cur res ita ſit, cognoſcatur.

Regula V.

311. *Nulla propoſitio ex ſuis terminis prorſus inevidens admittenda eſt, ut vera, niſi prius valor medii, quod ad eam oſtendendam aſſumitur, probe expendatur.* Cum enim judicium noſtrum, ut ſit prudens, debeat cognitioni proportionaliter reſpondere, eique veluti commenſurari (§. 268.), de nulla propoſitione, cujus veritas ex ipſis terminis minime nobis reluceat, ferendum judicium eſt, niſi æqua rationis lance libretur valor *medii*, cui propoſitio ipſa innititur, ut inde ſcilicet recte pro illius gradu aſſenſio noſtra determinetur. Itaque

Re-

Digitized by Google

Regula VI.

312. *Certa nobis debet eſſe propoſitio, quæ per medium infallibile verâ cognoſcitur*. Si namque *medium* fallere minime poteſt, propoſitio adeo nobis vera apparet, ut, ne vera ſit, metuere nequeamus. Eſt igitur certa (§. 275.), atque adeo abſque ulla prorſus hæſitatione admittenda. Quoniam vero *medii* infallibilitas ſuos habet gradus, iidem quoque, ut recte agamus, in ipſa aſſenſus noſtri firmitate ſtatuantur, oportet. Huc ergo faciunt tres priores regulæ, quæ ſequuntur.

Regula VII.

313. *Metaphyſice certa debet nobis eſſe propoſitio, ac proinde firmiſſimo aſſenſu admitti, ſi adeo infallibile ſit medium, cui illa innititur, ut prorſus repugnet, ab eo nos falli*. Ipſa enim propoſitio ita vera tunc nobis apparet, ut, quemadmodum *metaphyſica certitudo* poſtulat (§. 276.), falli in ea admittenda, quin aperta inde ſequatur contradictio, nequeamus.

Corollarium I.

314. Hinc *ea omnia debent nobis eſſe metaphyſice certa, quæ ex per ſe notis principiis aperte deducuntur*. Repugnat enim, ut illa principia nos fallant.

Corollarium II.

315. Cum etiam *auctoritas* poſſit eſſe adeo infallibile *medium*, ut abſque contradictione fallere nos minime queat, *plura etiam ex iis, quæ ſoli auctoritati innixa ſunt, quæque proinde ſunt plane inevidentia, penituſque obſcura, metaphyſice certa nobis eſſe poſſunt*.

Regula VIII.

316. *Phyſice certa cenſenda eſt propoſitio, quæ vera apparet per medium, quod ex lege naturæ fallere nequit*. Si namque fallere non poteſt *medium*, quin violentur naturæ leges, profecto neque nos in ipſa admittenda propoſitione decipi poſſumus, quin iiſdem legibus vis aliqua inferatur. Recte igitur pro *phyſice certa* propoſitio ipſa habenda eſt (§. 277.). Re-

REGULA IX.

317. *Moraliter demum certa nobis debet eſſe propoſitio, quæ apparet vera ope medii, quod nunquam fallit, licet, ſi falleret, neque violarentur naturæ leges, neque aliqua ſequeretur contradictio.* Etenim, ſi *medium* nunquam fallit, nonniſi temere de veritate illius propoſitionis, quæ ipſi innititur, ambigere poſſumus. Igitur ea aſſenſus firmitate admittenda hujuſmodi propoſitio eſt, quæ *morali certitudini* jure tribuitur (§. 278.).

REGULA X.

318. *Probabilis cenſenda eſt propoſitio, quæ conſentanea veritati oſtenditur per medium, quod licet interdum fallat, ſæpius tamen non fallit.* Si namque *medium* aliquando fallit, propoſitio non ita vera, illius ope, nobis apparet, ut, verane ſit, jure metuere nequeamus. Nobis itaque *certa* illa eſſe non poteſt (§. 275.). Quoniam vero *medium* ſæpius non fallit, ita nobis, illius ope, propoſitio ipſa relucet, ut veritati quammaxime proxima appareat. Digna eſt ergo, quæ *probabilis* cenſeatur (§. 279.).

COROLLARIUM I.

319. Quoniam *medium*, quo propoſitio veritati conſentire oſtenditur, eo minus diſtat a *certo*, quo rarius fallit, *probabilior* erit propoſitio, quo ipſum *medium* minus fallax fuerit. Hinc

COROLLARIUM II.

320. Ut nobis conſtet, quanta ſit *probabilitas*, quæ cuilibet *probabili* propoſitioni jure tribuenda eſt, definiamus oportet, *quoties, poſito certo caſuum numero, medium ipſum non fallat. Erit enim probabilitas propoſitionis ad certitudinem, ut numerus caſuum, in quibus medium non fallit, ad numerum integrum eorundem.* Ut ſi auctoritas Ariſtotelis *ſepties* intra *decem caſus* non fallat, *probabilitas*, quæ propoſitioni ob Ariſtotelis auctoritatem, cui innixa eſt, jure debetur, erit ad *certitudinem*, ut 7. ad 10.

Co-

COROLLARIUM III.

321. Exprimi idcirco poteſt *probabilitas* ope fractionis, *cujus denominator ſit numerus integer caſuum aſſumtorum; numerator vero ſit numerus caſuum, in quibus medium, cui propoſitio ipſa innititur, nequaquam fallit*. Sic fractio $\frac{7}{10}$ *probabilitatem* illius propoſitionis optime deſignat, quæ per *medium* intra *decem caſus* nonniſi *ter* fallax oſtenditur.

COROLLARIUM IV.

322. Porro, cum *medium*, cui innititur propoſitio *probabilis*, debeat intra certum *caſuum* numerum ſæpius non fallere, (§. 318.), *fractiones, quibus propoſitionum probabilitas exprimitur, debent eſſe hujuſmodi, ut earum numerator dimidiam denominatoris partem excedat.*

REGULA XI.

323. *Probabilis propoſitio non ſemper ex eo deſinit eſſe probabilis, quod contradictorie appoſita ſit probabilis.* Non enim tantum ſemper eſt robur momentorum, quibus earum una probabilis oſtenditur, ut probabilitas alterius partis penitus convellatur.

SCHOLION.

324. Minui *probabilitatem* propoſitionis ob *probabilitatem* partis contradictorie oppoſitæ, nemini dubium eſſe poteſt, cum perimere ſeſe mutuo, quæ ſibi invicem adverſantur, oſtendat ratio, & experientia confirmet. Non abs re tamen puto, paucis oſtendere, qua lege, ſive proportione id perficiatur. Itaque, determinata *abſoluta probabilitate* utriuſque partis per fractiones ejuſdem nominis, defectus *numeratoris* unius fractionis a communi *denominatore* addatur *numeratori* alterius, & hujus itidem defectus *denominatori* prioris; collectiſque *denominatoribus*, fractiones fiant, quæ *probabilitatem* propoſitionibus ipſis, comparatione facta, convenientem determinabunt. Res illuſtratur exemplo.

Probabilitas abſoluta ſententiæ A ſit $\frac{8}{9}$, & ſententiæ B contradi-

cto-

ctorie oppoſitæ ſit $\frac{5}{9}$. Defectus 4 *numeratoris* 5 a *denominatore* ad datur *numeratori* 8, & fiat 12; & defectus 1 ab eodem *denominatore* adjiciatur *numeratori* 5, & fiat ſumma 6. Tum ex his, atque ex *denominatorum* ſumma 18 conſtituantur fractiones $\frac{12}{18}$, $\frac{6}{18}$, quarum altera exprimet *probabilitatem*, quæ ex comparatione facta convenit ſententiæ A, altera vero *probabilitatem*, quæ ſententiæ B hinc quoque debetur, deſignabit. Cum enim momenra, quæ ſtant pro ſententia A, intra *novem* caſus *ſemel* fallant, caſus iſte favebit ſententiæ B; & *quatuor* caſus in quibus fallunt intra eundem numerum momenta pro ſententia B, favebunt ſententiæ A, adeo nempe ut momenta pro ſententia A ſpectari poſſint, perinde ac ſi intra 18 caſus *duodecies* non fallant; & momenta pro ſententia B, perinde ac ſi intra eundem caſuum numerum *ſexties* non fallant. Itaque fractio $\frac{12}{18}$ *probabilitatem* exprimet, quæ hinc debetur ſententiæ A, & fractio $\frac{6}{18}$ *probabilitatem* deſignabit, quæ ſententiæ B tunc itidem convenit. *Probabilitas* ergo *abſoluta* ſententiæ A ita eſt imminuta a *probabilitate* ſententiæ B, ut quæ prius erat ad *certitudinem*, quemadmodum 8 ad 9, facta comparatione non ſit niſi, ut 12 ad 18, ſive ut 2 ad 3.

ANIMADVERSIO I.

325. Fractiones, *abſolutam* contradicentium propoſitionum *probabilitatem* exprimentes, debent eſſe ejuſdem nominis. Nulla enim, ſi ſecus, comparatio eſt. Id autem ut apertum fiat, *abſoluta probabilitas* ſententiæ A exprimatur fractione $\frac{5}{8}$ & *probabilitas* itidem *abſoluta* ſententiæ B fractione $\frac{6}{10}$ deſignetur. Facta comparatione, conſtitutiſque, ut ſupra, fractionibus *comparativam probabilitatem* exprimentibus, nempe $\frac{7}{16}$, $\frac{9}{16}$, *probabilitas* ſententiæ A erit $\frac{7}{16}$, & *pro-*

probabilitas ſententiæ B erit $\frac{9}{16}$. Igitur ſententia A, quæ *abſolute* ſpectata, erat magis probabilis, quam ſententia B, facta comparatione, deſinit eſſe probabilis; contra vero ſententia B, quæ *abſolute* ſumta, erat minus probabilis, adhuc probabilis remanet. *Numerator* enim 7 fractionis $\frac{7}{16}$ non excedit dimidiam partem *denominatoris* 16, prout requiritur, ut ſententia A probabilis dici poſſit (§. 322.). Contra vero partem hujuſmodi excedit *numerator* 9 fractionis $\frac{9}{16}$, qua *probabilitas comparativa* ſententiæ B deſignatur. Id autem quam abſurdum ſit, nemo non videt. Itaque ſi fractiones, quibus *abſoluta probabilitas* exprimitur, diſſimiles fuerint, ad idem nomen revocandæ ſunt, antequam illa inter eas comparatio inſtituatur.

Corollarium.

326. Quoniam ſumma ex *numeratoribus* 12, 6 fractionum, quibus *comparativa* propoſitionum A, B *probabilitas* deſignatur, adæquat *denominatorem* 18, ſequitur, *propoſitiones oppoſitas* abſolute *probabiles comparari non poſſe, quin minus probabilis deſinat eſſe probabilis*. Non enim poſt comparationem poteſt una manere *probabilis*, niſi *numerator* fractionis, qua illius *probabilitas* exprimitur, mediam *denominatoris* partem excedat (§. 322.). Nequit autem illius fractionis *numerator* excedere mediam partem *denominatoris*, niſi *numerator* fractionis, qua alterius *probabilitas* deſignatur, a media ejuſdem denominatoris parte deficiat, facta ſcilicet hypotheſi perfectæ æqualitatis inter ſummam ex *numeratoribus* fractionum, *comparativam probabilitatem* exprimentium, & communem earum *denominatorem*, ut clare patet in ſuperiori exemplo. Ergo non poteſt una manere *probabilis*, quin altera propoſitio ſua *probabilitate* deſtituatur. Sic *probabilis* manet ſententia A, quia illius *probabilitas* exprimitur fractione $\frac{11}{17}$. At ſententia B deſinit eſſe *probabilis*, cum, facta comparatione, illius *probabilitas* fractione $\frac{6}{17}$, quæ *improbabilem*, ut dicemus, propoſitionem exprimit, deſignetur.

Ani-

Animadversio II.

327. Cum de comparanda duarum ſibi mutuo adverſantium propoſitionum *probabilitate* res agitur, cavendum eſt, ne diverſi generis ſint momenta, ex quibus *abſoluta* utriuſque partis *probabilitas* derivatur; videlicet ne ſint a *ratione*, quæ pro una ſtant parte; ab *auctoritate* vero, quæ pro altera pugnant. Nulla quippe tunc comparatio eſt, atque adeo illegitimum prorſus, quod inde fit, de *comparativa probabilitate* judicium. *Intrinſeca* enim eſt *probabilitas*, quæ ex *ratione*, contra vero *extrinſeca*, quæ ex *auctoritate* deſumitur. Quamobrem non ita pugnant inter ſe, ut, ſi mutuo conferantur, earum una infringere alteram poſſit, penituſque perimere.

Regula XII.

328. *Probabili propoſitioni aſſentiri quidem poſſumus, verum non adeo firmo conſtantique aſſenſu, ut omnis plane formido excludatur.* Cum enim hujuſmodi propoſitio non ita nobis vera reluceat, ut plane conſtet, falſam eam eſſe non poſſe, non adeo firmiter adhærere illi poteſt mens, ut metuere nequeat, quin in ea admittenda fallatur. Jure tamen aſsentiri ipſi propoſitioni licitum nobis eſt; quia cum veritati valde proxima, quamvis illi non plane conſona, ipſa nobis appareat, illud in ea prævalet, quod ex lege naturæ mentem noſtram ad aſſenſum jure movet atque determinat.

Regula XIII.

329. *Nulli propoſitioni probabili aſſenſus præbendus eſt, niſi prius, quanta ſit illius probabilitas, exactius, quoad poteſt fieri, definiatur.* Ut enim prudens ſit noſter aſsenſus, pro menſura *probabilitatis*, qua gaudet propoſitio, ipſum temperemus oportet.

Regula XIV.

330. *Improbabilis cenſeri debet propoſitio, atque adeo nullo aſſenſu digna, ſi medium, cui innititur, intra certum caſuum numerum ſæpius fallat, quam non fallat.* Tunc enim propoſitio ad falſitatem potius, quam ad veritatem inclinat.

Regula XV.

331. *Dubia eſt propoſitio, quæ adeo fallaci motivo innititur, ut intra certum caſuum numerum toties ex æquo fallat, ac non fallit*. Hoc enim ipſo ita apparet vera, ut ſimul falſa ex æquo reluceat.

Corollarium I.

332. Quemadmodum ergo fractiones $\frac{9}{10}$, $\frac{8}{10}$, $\frac{7}{10}$, $\frac{6}{10}$ *probabilem* propoſitionem (§.322.), ita fractio $\frac{5}{10}$ *dubiam*, *improbabilem* vero fractiones $\frac{4}{10}$, $\frac{3}{10}$, $\frac{2}{10}$, $\frac{1}{10}$ deſignant. Nimirum *dubia* propoſitio exprimitur fractione, cujus *numerator* dimidiam *denominatoris* partem adequat. *Improbabilis* vero deſignatur fractione, cujus *numerator* a dimidia *denominatoris* parte deficit. Unde eo *improbabilior* erit propoſitio, quo major erit hujuſcemodi defectus, ſicuti eo *probabilior* ipſa eſt, quo magis *numerator* fractionis dimidiam *denominatoris* partem ſuperat. Hinc

Corollarium II.

333. Liquido apparet, *dubiam propoſitionem medium inter probabilem, & improbabilem locum habere.*

Regula XVI.

334. *Ubi agitur de propoſitione dubia, omnis aſſenſus cohibendus eſt.* Mens quippe noſtra, quemadmodum ſapienter monet S. Auguſtinus, *erret neceſſe eſt (quod ſapienti nefas eſt) ſi aſſentiatur rebus incertis* (a). Profecto, cum deſit, quod mentem ipſam jure poteſt ad unam præ altera admittendam partem determinare, relinquitur, temere ſe gerere, quocunque tunc illa ſe vertat.

AR-

(a) Lib. II. *contra Academ.* n. 11. *alias* cap. 5.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Regulæ pro ferendo judicio de iis, quæ ſenſuum auxilio nobis innoteſcunt.

335. QUoniam, ut ait Ariſtocles apud Euſebium, recte philoſophantur, *qui tum ſenſus, tum rationem in rebus cognoſcendis adhibent* (a), regulas hic paucis exhibeo, quæ in ferendo de iis rebus judicio, quæ ſenſuum miniſterio ipſi cognoſcimus, *principiorum* loco haberi poſſunt.

REGULA I.

336. *Quidquid ſenſuum miniſterio, ſi recte diſpoſiti ſint, optimeque valentes, clare, diſtincte, & uniformiter a nobis percipitur, phyſice certum nobis eſſe debet, atque adeo firmo aſſenſu admitti.* Cum enim ſenſibilium rerum cognitio nonniſi ope ſenſuum obtineri a nobis poſſit, alterutrum dicendum neceſſario eſt, videlicet aut ſenſuum miniſterio nos perpetuo decipi, aut plura per ſenſus recte percipi a nobis poſſe, certoque cognoſci. Primum autem plane iniquum eſt. Repugnat enim Divinæ ſanctitati, ſentiendi vim nobis a Deo collatam fuiſſe, ut per eam mens noſtra perpetuo decipiatur. Ergo alterum fateamur oportet. At ſi aliquando hoc eſt verum, tunc certe, cum ſenſus diſpoſiti optime ſunt, recteque valentes, reſque ipſæ clare, diſtincte, & uniformiter illorum miniſterio percipiuntur. Ergo, quæ, ope ſenſuum, hoc modo attingimus, *phyſice* certa nobis eſſe debent; eaque proinde aſſenſus firmitate admitti, quam *phyſica certitudini* diximus convenire (§. 277.). Hinc elegantiſſimus Cicero, *ordiamur*, inquit, *a ſenſibus, quorum ita clara judicia & certa ſunt, ut, ſi optio naturæ noſtræ detur, aut ab ea Deus aliquis requirat, contentane ſit ſuis integris incorruptiſque ſenſibus, an poſtulet melius aliquid, non videam, quid quærat amplius* (b).

SCHOLION I.

337. Dixi, *certa nobis eſſe debere, non quæ ſemper, & qualitercumque, ſed quæ clare, diſtincte, & uniformiter per ſenſus recte diſpoſi-*

G 2

(a) Lib. XIV. *de Præparat. Evangel.* cap. 17.
(b) Lib. IV. *qq. Academ.* cap. 7.

ſpoſitos, optimeque valentes a nobis percipiuntur. Non enim ego is ſum, qui, ut cum Tullio loquar, *quidquid videtur, tale dicam eſſe, quale videtur. Epicurus hoc viderit, & multa alia. Meo autem judicio ita eſt maxima in ſenſibus veritas, ſi ſani ſint & valentes, & omnia removeantur, quæ obſtant, & impediunt. Itaque & lumen mutari ſæpe volumus, & ſitus earum rerum, quas intuemur, & intervalla aut contrahimus, aut diducimus, multaque facimus uſque eo, dum adſpectus ipſe fidem faciat ſui judicii, quod idem ſit in vocibus, in odore, in ſapore, ut nemo ſit noſtrum, qui non in ſenſibus ſui cujuſque generis judicium requirat acrius* (a). Senſus itaque non fallunt, quando, ut alia prætercam, remum media ſui parte in aqua fractum nobis exhibent, eumque veluti integrari, cum aufertur, ipſi conſpicimus. Malum quippe tunc non habet animus internuntium, ſed malus ipſe eſt judex. Ille ſiquidem, ut præclare advertit S. Auguſtinus, *pro ſua natura non potuit aliter in aqua ſentiri, nec aliter debuit. Si enim aliud eſt aer, aliud aqua, juſtum eſt, ut aliter in aere, aliter in aqua ſentiatur* (b); falſitatis potius argui ſenſus noſtri jure deberent, ſi remum, media ſui parte in aqua demerſum, plane rectum nobis oſtenderent; cum ſcilicet oculi, ut ait idem S. Doctor, tunc *non viderent, quod talibus exiſtentibus cauſis videndum fuit* (c). Itaque ſi, eodem teſte, *non ſolum oculi, ſed etiam omnes corporis ſenſus, ita renuntiant, ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere, debeamus, ignoro* (d). *Injuſtum eſt enim ab eis exigere, pluſquam poſſunt* (e).

S C H O L I O N II.

338. Dixi, certa *certitudine phyſica* eſſe ea omnia, quæ *ſenſus recte diſpoſiti optimeque valentes clare, diſtincte, & uniformiter nobis oſtendunt.* Fateor quippe, nullam in eo eſſe repugnantiam, ut res aliter revera ſit, ac per ſenſus recte etiam diſpoſitos nobis nitide apparet. Contendo ſolum, id naturæ viribus nunquam poſſe contingere; ac proinde eam dumtaxat certitudinem ſenſibus noſtris eſſe tribuendam, quam iis jure damus, quæ, niſi naturæ leges prorſus violentur, aliter, ac modo ſunt, eſſe non poſſunt.

RE-

(a) Lib. IV. *qq Academ.* cap. 7.
(b) Lib. *de vera Religione* n. 62. *alias* c. 33.
(c) Lib. III. *contra Acad.* n. 26. *alias* c. 11.
(d) Lib. *de vera Religione* n. 62. *alias*. c. 33.
(e) Lib. III. *contra Academ.* n. 26. *alias* c. 11.

REGULA II.

339. *Non debent falſa cenſeri, quæ ſenſibus minime apparent, niſi prius certo conſtiterit, vera ea eſſe non poſſe, ſi ſenſibus non reluceant.* Vitium plurimorum eſt, ſenſuum vim adeo extendere, ut falſum id omne cenſendum putent, quod illorum ope haudquaquam percipiunt. Sic negant plerique, internas mixti corporis ſubtiliores particulas jugi motu torqueri, eaſque ex illius poris continuo erumpere, & quoquoverſus diffundi, propterea nimirum quia neque inteſtinum hujuſmodi motum in corporibus videant, neque fumoſam illam evaporationem nudis oculis cernant. Itaque licet metuere nequeamus, ne vera ſint, quæ clare, diſtincte, & uniformiter ſenſuum auxilio attingimus (§. 336.), non idcirco ea omnia rejicienda viciſſim ſunt, tamquam falſa, quæ ſenſibus neutiquam obiiciuntur, niſi prius certo nobis conſtiterit, ejus ipſa eſſe naturæ, ut nequeant eſſe vera, niſi ſenſibus percipiantur. Sane tanta non eſt ſenſuum vis, ut illorum ope cuncta attingi a nobis poſſint, penituſque comprehendi.

REGULA III.

340. *Dubitare jure non poſſumus, quin verum ſit, cui evidens experientia ſuffragatur.* Rerum enim magiſtra experientia eſt. Experiri porro dicimur, cum circa res ſenſibiles varia tentamus, ſedulo obſervantes, quinam effectus in iiſdem circumſtantiis ſemper contingant, quæque mutationes in corporibus accidant. Hinc experientia ſatis apte definitur: *cognitio, nullo docente, per uſum acquiſita*. Quamobrem niſi velimus, nos a natura perpetuo decipi, cogimur fateri certiſſima, quæ, experientia facem præbente, manifeſte cognoſcimus.

REGULA IV.

341. *Falſum abſolute eſt, quod experientia neutiquam conſentire conſpicimus.* Ut enim veritati adverſari non poteſt, quod certiſſimis experimentis reſpondere dignoſcitur (§. 340.), ita dubitare nequimus, quin falſum ſit, quod manifeſtæ experientiæ haudquaquam conſentit.

ARTICULUS III.

Regulæ humanam mentem dirigentes in iis credendis doctrinis, quæ tam divinæ, quam humanæ auctoritati innituntur.

342. D*Uplex eſt via, quam ſequimur*, inquit S. Auguſtinus, *cum rerum obſcuritas nos movet; quia aut ſequimur rationem, aut certe auctoritatem* (a). *Rationem* ſequimur, cum in rebus conſiderandis ad ea attendimus, quæ vel *per ſe nota* nobis ſunt, vel in nobiſmetipſis ſentiendo experimur. Ducimur vero *auctoritate*, cum in ferendo de rebus judicio, dictis aliorum ſtamus. Hæc poſterior aſſenſio *fides* dicitur, quemadmodum cognitio, quæ priori modo obtinetur, *ſcientia* vocatur. *Fides* duplex eſt, *divina*, & *humana*, ſicuti vel *divina*, vel *humana* eſt illa *auctoritas*, quæ ad aſſenſum nos movet. *Divina auctoritate* nos falli, impoſſibile prorſus eſt, ut dicemus. *Auctoritate* vero *humana* poſſe nos decipi, neminem fugit. Nemo enim eſt, qui neſciat, innumeros eſſe, qui gloriæ ducunt, aliis imponere. Intereſt ergo quammaxime, ut hac in parte nos recte inſtituamus. En itaque regulæ, quæ in credendis doctrinis uſui nobis eſſe poſſunt.

REGULA I.

343. *Evidentia in iis quærenda non eſt, neque poſtulanda intrinſeca ratio eorum, quæ nobis credenda proponuntur*. Locum quippe non habet fides, ſi, quod nobis credendum proponitur, vel ex ipſis terminis evidenter pateat, vel ratione, aut experientia manifeſte oſtendatur. Tunc enim non auctoritas dicentis, ut exigit fides (*), ſed rationis vis & evidentia illud eſt, quod ad aſſenſum nos movet atque determinat; & ideo nulla tunc habetur fides. Nam, *quæ apparent*, ut ait S. Gregorius Papa, *jam fidem non habent, ſed agnitionem* (b).

REGULA II.

344. *Nemini credendum eſt, niſi prius conſtiterit, illum idoneum eſſe teſtem*. Etſi enim jure poſtulare non liceat, ut ratione oſtendatur, quod credendum proponitur (§. 343.), non propterea clauſis oculis, ut

(a) Lib. II. *de ordine* n. 16. *alias* cap. 5.
(b) Homil. 26. *in Evangelia*.

(*) Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati. *S. Auguſtinus* lib. *de utilitate credendi* n. 25 *alias* cap. 11.

ut ità dicam, admittenda, tamquam vera, ea omnia a nobis ſunt, quæ a quovis vera eſſe dicuntur. Non minoris quippe temeritatis vitium eſt, nulli credere, quam, nullo diſcrimine poſito, cuilibet aſſentiri. Cum igitur, Tullio teſte, perſpecta res ſit, *nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere* (a), nemini fidem præſtemus oportet, niſi prius nobis certo conſtiterit, idoneum illum eſſe teſtem (*), videlicet rem, in qua noſtra verſari debet fides, plane ab eo cognoſci, & eſſe veracem. Errabimus enim credendo, ſi aut ille mendax fuerit, aut in ea ipſa re errare ac decipi ille quoque potuerit.

Regula III.

345. *Ea omnia aſſenſu firmiſſimo admittenda ſunt, quæ Divinæ auctoritati innituntur.* Hæc enim omnia *metaphyſice certa* nobis eſſe debent. Magis quippe repugnat, Deum falli, vel fallere, quam vera ea non eſſe, quæ ratio vel evidentiſſima oſtendit. Hinc doctiſſimus Lyranus exponens illa verba Pſalmi 92. TESTIMONIA TUA CREDIBILIA FACTA SUNT NIMIS, *credibilia*, inquit, *facta ſunt nimis*, hoc eſt, *magis, quam prima principia ſcientiarum naturalium*.

Scholion I.

346. Hæc regula intelligenda eſt non de iis ſolum, quæ ad *doctrinam*, verum etiam de iis, quæ ad *hiſtoriam* pertinent. Non minus quippe in rebus *juris*, quam in rebus *facti* Deum falli, vel fallere, prorſus repugnat.

Scholion II.

347. In iis, quæ ſunt fidei divinæ, æquiſſimum eſt, quemadmodum ait Apoſtolus, *captivemus intellectum noſtrum in obſequium fidei*, videlicet ut ne quidem leviſſime de eorum veritate dubitemus, quæ divina auctoritate nobis credenda traduntur, quamvis non ſolum mens noſtra nullo prorſus modo valeat illa comprehendere, verum etiam etſi humanæ rationi ea penitus adverſari videantur. Cum enim ratio ipſa clare nos doceat, potentiam Dei infinitam eſſe, humanæ vero rationis vim limitibus undique circumſcribi, ea ipſa ratio oſtendit,

(a) De petitione Conſulatus.

(*) Creduntur illa, quæ abſunt a ſenſibus noſtris, ſi videtur idoneum, quod eis teſtimonium perhibetur. *S. Auguſtinus* Epiſt. 112. cap. 2.

dit, plura poſſe a Deo fieri, quæ mente complecti ipſi nequimus. Profecto, ſi illa dumtaxat admittenda a nobis eſſent, ut vera, quæ mente comprehendere poſſumus, innumera prorſus ex iis etiam, quæ in natura contingunt, eſſent a nobis, tamquam falſa, reiicienda; cum innumera ſint rerum naturalium phœnomena, quibus comprehendendis plane impares ſumus.

REGULA IV.

348. *Firmo conſtantique animo admittenda ſunt, quæ nobis ab Eccleſia, divina fide credenda, proponuntur*. Fieri enim non poteſt, ut Eccleſia in iis definiendis, quæ ad fidem pertinent, decipiatur, noſque in errorem inducat; cum ipſe Chriſtus aperte dixerit, numquam fore, ut deficiat fides Petri (a), neque ut portæ inferi contra Eccleſiam prævaleant (b).

REGULA V.

349. *Magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt* (c). Quod enim ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, illud ſane eſt hujuſmodi, ut ab ipſomet Chriſto oretenus traditum Apoſtolis fuerit, atque per illos in nos conſtanti traditione derivatum. Unde S. Auguſtinus, *quod univerſa*, inquit, *tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur* (d).

REGULA VI.

350. *Non omnis ſententia ex eo præciſe cenſenda eſt tuta, quod Eccleſia haudquaquam illam proſcripſerit*. Eccleſia enim non omnes aperte damnat errores, ſed eos tantum, qui faciunt ſtrepitum. *Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa*, inquit S. Auguſtinus, *omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerit. Utitur enim gentibus ad materiam operationis ſuæ; hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ; ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ; Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem. Carnales autem ſuos, id eſt, viventes, aut ſen-*

(a) Lucæ cap. 22. v. 32.
(b) Matthæi cap. 16. v. 18.
(c) Vincentius Lirinenſis *Commonitor*. I. c. 3.
(d) Lib. IV. *de Baptiſmo contra Donatiſtas* n. 31. *alias* c. 24.

ſentientes carnaliter, tamquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea, vel frumentum eſt, tamdiu ſuſtinetur peccatum, aut error cujuslibet, donec aut accuſatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat (a).

REGULA VII.

351. *Firmiter tenendum eſt, tamquam certum, quod in materia Religionis omnes S.S. Patres docent.* Cum enim S.S. Patres fuerint a Deo miſſi, ut Eccleſiam erudirent, fieri nequaquam potuit, ut in iis, quæ ad Religionem ſpectant, omnes erraverint. Hinc S. Auguſtinus adverſus Julianum, *hoc*, inquit, *probavimus catholicorum auctoritate Sanctorum.......ac per hoc non eſt conſequens, ut falſum ſit, quia illa vera ſunt. Tales quippe ac tanti Viri ſecundum Catholicam Fidem hoc verum eſſe confirmant, ut veſtra fragilis, & argutula novitas ſola auctoritate conteratur illorum* (b).

SCHOLION.

352. Dixi, *fieri minime potuiſſe, ut omnes S.S. Patres in materia ad Religionem ſpectante erraverint.* Non enim tanta eorum quilibet fuit infallibilitate donatus, ut nulla prorſus in re errare potuerit. *Solis eis Scripturarum libris*, inquit S. Auguſtinus, *qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem, ſcribendo, aliquid erraſſe, firmiſſime credam; ac ſi aliquid in eis offendo literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſequutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque prapolleant, non ideo verum putem, quia ita ipſi ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt* (c).

REGULA VIII.

353. *In Diſciplinis naturalibus, humaniſque artibus auctoritas S.S. Patrum majoris non eſt ponderis, quam ſit auctoritas illorum Philoſophorum*

(a) Lib. *de vera Religione* n. 10. *alias* cap. 6.

(b) Lib. II. *contra Julianum* n. 31. *alias* cap. 9.

(c) Epiſt. 82. *alias* 19.

rum, quos ipſi Patres ſequuti ſunt. Unde tanti præciſe hac in parte valent S. S. Patrum dicta, quanti valent rationes, quibus illæ oſtenduntur. Ut enim præclare advertit Cl. Melchior Cano, *Sancti auctores non erant adeo ſolliciti in Philoſophiæ dogmatis perſcrutandis, quin Philoſophorum libros, ut totos ſeſe Divinæ Sapientiæ darent, aut valere ſinebant, aut etiam interdum a limine ſalutabant ..... Accedit, quod ex Sanctis antiquis nonnulli Phyſicen, & Metaphyſicen vel non habuere quidem, vel certe leviter attigerunt. Alii vero magna ex parte fuere Platonici, priuſquam converterentur ad fidem. Quamobrem cum in Philoſophia quæſtiones incidunt, aut vulgi & Rhetorum opiniones ſequuntur, aut etiam, quas a Platonicis acceperant, in Chriſtianorum ſcholas invehunt* (a).

COROLLARIUM.

354. Hinc manifeſte apparet, ſi ita mihi fari cum Viro Doctiſſimo liceat, *quo plauſu excipiendi ſunt illi, qui in phyſicis, in hiſtoriis profanis, & hujuſmodi argumentis Auguſtinum, Thomam, Bonaventuram, Antonium, alioſque ſanctitate ſimul & eruditione celebres Viros producant, rati ſe in iſtorum auctoritate firmiſſimum ſuis ſententiis comparaſſe præſidium, & ad iſta certe magna nomina incutiendum eſſe mirum ſuis adverſariis timorem.* Enimvero, ut ille ipſe ait Vir Cl., *Sancti Patres in hiſce artibus humanis ac ſcientiis non Chriſtum, ſed Platonem, ſed Ariſtotelem, ſed Avicennam, homines videlicet impios, aut cæcos habuere Magiſtros, aut ſuum intellectum fallacem, aut alios homines erroribus obnoxios ſequuti ſunt.* Unde concludit: *Quid ergo hic certi a S.S. Patribus polliceri tibi poſſis? Tantum ſane eorum dicta valebunt apud cordatos viros, quantum rationibus, & robuſtiſſimis, neque fallacibus argumentis nitentur* (b).

REGULA IX.

355. *Doctoribus primæ claſſis, ſummiſque Philoſophis multum ſemper deferendum a nobis eſt, adeo nimirum ut, ſi evidens ratio, vel manifeſta experientia ab eorum doctrina recedere nos cogat, id non fiat, niſi ſalva, quæ illius jure debetur, reverentia.* Quamvis enim decipi & illi potuerint, quinimo reipſa in pluribus erraſſe deprehendantur, æquum eſt tamen, ut nos potius, quam illa ſumma ingenia, falli arbitremur. Recte propterea Quintilianus ſic olim ſcripſerat: *Neque id ſta-*

(a) Lib. VII. *de locis Theol.* cap. 3. (b) Ludovicus Ant. Muratorius lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 21.

ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia, quæ magni auctores dixerint, utique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati; nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur; cum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio vero etiam Homerus ipſe videatur. Summi enim ſunt, homines tamen...... Modeſte tamen & circumſpecto judicio de tantis Viris pronuntiandum eſt, ne (quod pleriſque accidit) damnent, quæ non intelligunt. At ſi neceſſe eſt in alteram errare partem, omnia eorum legentibus placere, quam multa diſplicere, maluerim (a).

REGULA X.

356. *Credendum potius eſt paucitati doctorum, quam multitudini indoctorum.* Cum enim præjudicia quammaxime vigeant in imperitis, mentiſque præcipitantia in judicando illis plurimum dominetur, dicendum eſt cum Lactantio, *plus eſſe momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis* (b): atque cum S. Auguſtino, *ad aliquid inveniendum nihil multitudinem prodeſſe cæcorum* (c).

REGULA XI.

357. *Opinio fundata in communi atque conſtanti omnium populorum conſenſu, quin de illius veritate aliquis unquam dubitaverit, nec modo ſit, qui dubitet, pro certa tenenda eſt.* Ut enim habet Tullius, *id, de quo omnium natura conſentit, verum eſſe neceſſe eſt* (d). Evidentiam quippe habere videtur in ſolo lumine naturali; ut proinde, tamquam naturæ lex, ſpectari illud optime poſſit, ipſomet Tullio teſte, dum ait: *Omni in re conſenſio omnium gentium lex naturæ putanda eſt* (e).

REGULA XII.

358. *Perito in arte credendum eſt.* Si namque eſt in arte peritus, perfectam rei, de qua diſſerit, cognitionem habet. Quamobrem, ſi nulla jure habeatur de illius ſinceritate dubitatio, ejuſdem aſſertioni in iis, quæ ad ipſam artem ſpectant, abſque ulla prorſus hæſitatione ſtare debemus.

RE-

(a) Lib. X. *Inſtit. Oratoriar.* cap. 1.
(b) Lib. II. *Divinarum Inſtit.* cap. 20.
(c) Lib. II. *contra Julianum* n. 35. *alias* cap. 10
(d) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 17.
(e) Lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 13.

Regula XIII.

359. *Moraliter certa eſſe cuique debet ea propoſitio; quam communi calculo, tamquam veram, Doctores omnes admittunt.* Quamvis enim evidens in eo non ſit repugnantia, ut omnes fallant, aut fallantur, id tamen *moraliter* ſaltem impoſſibile eſt.

Regula XIV.

360. *Probabilis ea doctrina eſt, quæ pluribus ſapientibus videtur vera, iiſque potiſſimum, qui ceteris clariores ſunt, & maxime noti.* Sapientes enim nihil ſine ſufficienti ratione docent; quippe, ut ait Tullius, *quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut, quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ulla dubitatione defendere?* (a) Licet porro eorum quilibet hallucinari queat, ac proinde falſum eſſe poſſit, quod docet, attamen nonniſi raro accidit, ut ſimul plures, & quidem præcipue ſi ceteris ſapientiores ſint, decipiantur.

Regula XV.

361. *Nulla eſt auctoritas Scriptoris, qui truncat textus, & documenta malitioſe ſupprimit, quæ illius doctrinæ adverſantur.* Hoc enim ipſo vel animum habet fallendi, & ideo nullam meretur fidem (§.343.), vel de ſuæ doctrinæ veritate ipſe quoque dubitat, putans ſcilicet iis momentis, quæ ob id malitioſe ſilentio præterit, eam poſſe convelli.

Scholion.

362. Quoniam vitium truncandi textus Auctorum, qui in favorem propriæ doctrinæ citantur, frequens magis eſt, quam quis crediderit, nemini hac in parte ſtandum puto, niſi evidenter adeo illius nobis conſtet ſinceritas, ut temeraria plane ſit, ac prorſus inſolens quævis vel leviſſima dubitatio.

Regula XVI.

363. Ut ſententiæ, quam Auctor tuetur, *probabilitatem* ſua auctorita-

(a) Lib. I. *de natura Deorum* cap. I.

ritate conciliet, ſequentes in illo conditiones requiruntur. I. *Ut aſſerat, quæ ſibi videntur, non autem quæ tantum videntur aliis.* Aliena ſiquidem referre, rudibus etiam & imperitis commune eſt. II. *Ut non dubitanter, ſed abſolute ea ſuper re judicium pronuntiet.* Si enim & ipſe hæſitat, tantum ſane abeſt, ut gradum aliquem *probabilitatis* ſententiæ, quam tradit, ſua auctoritate conciliet, quin potius ei plurimum detrahat, alios ſcilicet excitando, ut de eadem re, ſive doctrina, ipſi quoque dubitent. III. *Ut ſit liber a præjudiciis.* Neminem quippe latet, quantum ad recte de rebus judicandum præjudicia officiant. IV. *Ut nulli ſit addictus, niſi quatenus pro illo ſtat ratio.* Qui namque jurant in verba Magiſtri, prius tenentur adſtricti, quam, quid ſit optimum, judicare poſſint, maluntque perſæpe *errare, eamque ſententiam, quam adamarunt, pugnaciſſime defendere, quam ſine pertinacia, quid conſtantiſſime dicatur, exquirere* (a). Quemadmodum ergo hi, utpote quærentes, non quid ſentiendum ſit, ſed quid ſenſerint alii, non ſunt idonei controverſiarum judices, ita ex eorum numero nequaquam ſunt, ex quibus extrinſeca opinionum *probabilitas* derivanda eſt, & jure deſumitur. V. *Ut polleat arte Critica, atque in Logica plurimum emineat.* Harum enim artium auxilio veritas detegitur, atque ab illis, ut de rebus omnibus recte judicemus, mens noſtra dirigitur. VI. *Ut clare, diſtincte, & ordinate rem explicet, eaque omnia removeat, quæ impedire aliquo modo poſſunt, ne veritas comprehendatur.* Id enim argumento eſt, rem, in qua verſamur, clare nitideque ab Auctore cognoſci, quemadmodum ſane requiritur, ut pro idoneo judice ille habeatur. VII. *Ut ſententiam ſuam perſpicue oſtendat, eaque omnia diſſolvat, quæ illam evertere aliquo modo poſſe videntur.* Hinc enim manifeſtum efficitur, nihil ab eo ſine ratione doceri; atque adeo doctrinam, quam tradit, eatenus ab ipſo defendi, quatenus illam putat veritati conſentire. VIII. *Ut nihil demum aſſerat, quod in contrariam ſententiam, ejuſque patronos odium excitare poſſit.* Adverſariorum ſiquidem opiniones indecore traducere, eaſque vel contemnere tamquam ridiculas, vel perinde ac erroneas prorſus, & pernicioſas, plane rejicere, argumento eſt, mea quidem ſententia, vel evidentiſſimo animi peſſime affecti; ac proinde Auctorem, qui hiſce dicteriis ſuos in adverſarios utitur, iniquum eſſe judicem. Opinari quippe tunc haud temere licet, non amorem veritatis, ut decet, ſed livorem atque invidiam illud fuiſſe dumtaxat, quod Auctorem ipſum movit, ut eam, quam tradit, ſententiam amplecteretur. Hæc itaque omnia ſi in Auctore reluceant, pro idoneo controverſiarum ju-

(a) Tullius lib. IV. *qq. Academ.* cap. 3.

judice, dignus jure ac merito eſt, qui habeatur: atque adeo minime dubitandum, quin doctrinæ, pro qua ſtat, aliquam *probabilitatem* ſua ipſe auctoritate conciliet.

SCHOLION I.

364. Ut definiatur, quantum *probabilitatis* quivis Doctor ſententiæ, quam tuetur, ſua auctoritate conciliet, determinandum eſt, quoties intra certum numerum cauſum, ut diximus §. 320, auctor ipſe neutiquam decipiatur.

SCHOLION II.

365. Minime diſſimulandum hoc loco videtur, ad veritatem uni ſententiæ conciliandam haudquaquam ſufficere (niſi oppoſitio ſit contradictoria) ut contraria ſententia plane falſa oſtendatur. Neminem quippe fugit, facilius eſſe, falſa convincere, quam vera invenire, & fieri etiam poſſe, ut earum ſententiarum nulla prorſus ſit vera. Profecto Tullius, quemadmodum optime advertit Lactantius, *diſſolvit* in libris de Natura Deorum *publicas religiones, ſed tamen veram, quam ignorabat, nec ipſe, nec alius quiſquam potuit inducere. Adeo & ipſe teſtatus eſt, falſum quidem apparere, veritatem tamen latere. Utinam, inquit, tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere. Quod quidem non diſſimulanter, ut Academicus, ſed vere atque ex animi ſententia proclamavit, quia veritas humanis ſenſibus erui non poteſt. Quod aſſequi valuit humana providentia, id aſſecutus eſt, ut falſa detegeret. Quidquid enim fictum, & commentitium, quia nulla ratione ſubnixum eſt, facile diſſolvitur* (a). Dixi autem, *niſi contradictoria ſit ipſarum propoſitionum oppoſitio*. Cum enim duæ propoſitiones ſibi invicem contradictorie pugnantes neque ſimul veræ eſſe poſſint, neque ſimul falſæ (§. 236.) relinquitur profecto, ut una contradictionis pars certo ſit vera, ſi, alteram fallere, nobis plane conſtiterit.

AR-

(a) Lib. *de ira Dei* cap. 11.

ARTICULUS IV.

Regulæ mentem dirigentes in iis credendis eventibus, qui ab humana tantum auctoritate dependent.

366. DE iis tantum eventibus modo nobis res eſt, ad quos credendos humana dumtaxat nos movet auctoritas. Cum igitur fabuloſi hi eſſe poſſint, & plane commentitii, inficiabitur nemo, intereſſe plurimum, nos recte hac in parte inſtituere, ne decipiamur. En igitur, quæ mihi viſa ſunt, conferre aliquid poſſe, ne quis in hoc rerum genere nobis imponat.

REGULA I.

367. *Sola facti poſſibilitas ſatis non eſt, ut, illud revera contigiſſe, jure credatur.* Error multorum eſt, velle, ut quem ipſi eventum referunt, contigiſſe credatur, hoc ipſo dumtaxat, quod nulla nobis in eo repugnantia occurrat, ſed plena poſſibilitas. Injuſte itaque fidem poſtulant. Quandoquidem, ſi ſola facti poſſibilitas ad aſſenſum a nobis jure extorquendum ſatis eſſet, non ſolum ad innumera facta, quæ nunquam acciderunt, credenda cogeremur, verum etiam merito a nobis poſtulare aliquis poſſet, ut eventibus prorſus contrariis aſſenſus ſimul præberetur. Innumera enim ſunt, quæ poſſunt fingi, quin ne leviſſima quidem in illis repugnantia appareat. Neminem quoque latet, poſſe fieri, ut non minus factum illud, quod contigiſſe dicitur, ſit poſſibile, quam illius contrarium. *Debet itaque*, ut optime monet Vir Cl., *hic loco axiomatis certi & indubii eſſe, quod ſola rei poſſibilitas ratio ſufficiens non eſt ad fidem generandam; & quod poteſt quid rationabiliter credi, quamvis credatur, impoſſibile non eſſe, contrarium accidiſſe, adeo ut e duobus eventibus alter tantum credi poſſit contigiſſe, licet uterque poſſibilis cenſeatur* (a).

REGULA II.

368. *Antequam de facto hiſtorico judicium feratur, omnes illius circumſtantiæ tam internæ, quam externæ expendendæ probe ſunt, attentoque animo conſiderandæ.* Internas facti hiſtorici circumſtantias voco, quæ factum ipſum antecedunt, comitantur, & conſequuntur. Ex-

(a) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 13.

Externas vero, quæ teſtem, ſive auctorem reſpiciunt, a quo factum narratur, nobiſque credendum proponitur. Ad internas itaque facti circumſtantias quod attinet, primo attente conſiderandum eſt, an earum aliqua, moraliter ſaltem, ratione loci, perſonæ, vel temporis ſit impoſſibilis. Secundo, num una ita cum altera pugnet, ut ambæ ſimul in ipſo facto componi nequaquam poſſint. Si namque aliqua ſit impoſſibilis, vel illarum una alteri adverſetur, jam factum vel nullam, vel nonniſi dubiam meretur fidem; utpote quod hoc ipſo vel plane falſum ſit, vel apprime dubium. Si autem in ipſis circumſtantiis nulla falſitas, nullaque oppoſitio occurrat, factum cenſendum quidem eſt poſſibile, at minime credendum, illud revera contigiſſe, niſi ea quoque adſit auctoris, ſive teſtis conditio, ut plane dignus ille ſit, cui fides prebeatur. Poſita ergo facti poſſibilitate, conſideranda ſunt, quæ modo ſubjicimus, ut ex teſtis, auctoriſve circumſtantia, recte de facti exiſtentia judicare valeamus.

REGULA III.

369. *Quemadmodum in iis, quæ ad doctrinam rerumque ſcientiam pertinent, magis viro docto, quam bono credendum eſt, ita cum de facti exiſtentia agitur, magis viro bono, quam docto ſtandum puto.* Equidem non inficior, bonæ honeſtæque vitæ rationem in iis quoque habendam eſſe, qui dogmata tradunt; cum ſcilicet perſæpe contingat, ut mentis judicium prava voluntate corrumpatur; opinor tamen, plurimum ſcientiæ eruditioniſque requiri, ut vera atque tuta doctrina a mala & falſa recte diſcernatur; longeque eſſe facilius, ut in ferendo de doctrina judicio is decipiatur, qui totus in morum diſciplina eſt, quam, qui in liberalibus ingenuiſque artibus eſt apprime verſatus. At contra res ſe habet, cum agitur de fide danda eventibus, qui hominum dumtaxat teſtimonio innituntur. Cum enim contingentis eventus exiſtentia cuique, etſi quammaxime rudi & imperito, conſtare pleniſſime poſſit, ſola ſinceritas ſatis in eo eſt, qui factum refert, ut pro idoneo teſte habeatur. Conſtat autem, ſinceritatem animique integritatem a vitæ potius innocentia, morumque probitate, quam a ſcientia eruditioneque dependere, experientia ad evidentiam demonſtrante, virum probum, ægrius quam doctum, mentiri. Ergo, ubi agitur de hiſtorici facti exiſtentia, vitæ bonitatem, morumque innocentiam ſpectare potius in teſte debemus, quam doctrinam.

SCHO-

SCHOLION.

370. Loquor de teſte oculato, de eo nimirum, qui rem geſtam ſe vidiſſe aſſerat. Si namque res ſit de teſte non oculato, ſcilicet de eo, qui non rem a ſe viſam, ſed auditam dumtaxat referat, probitatem vitæ non tanti in illo faciendam eſſe, puto, ut doctrinæ velim eſſe præferendam. Viri ſiquidem boni ſunt ut plurimum nimis creduli, adeo nempe ut facile cuique ſit, illis imponere.

REGULA IV.

371. *Teſtis ſemel mendax in nulla ſua aſſertione meretur fidem.* Ut enim præclare monet Tullius, *ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etiamſi per plures Deos juret, non oportet* (a); & recte quidem. Cum enim adſit hoc ipſo ſufficiens præſumptio internæ malitiæ, ſuſpicari ſine piaculo licet, ipſum in aliis quoque mentiri.

REGULA V.

372. *Unus teſtis coævus præferendus eſt pluribus teſtibus non coævis.* Nemini dubium, quin teſtis oculatus dignus jure ſit, qui pluribus teſtibus non oculatis præferatur. Nemo quoque ibit inficias, teſtem coçvum potuiſſe rem geſtam propriis oculis videre, minime vero teſtem non coçvum. Igitur unus teſtis coçvus pluribus non coævis videtur merito proferendus. Hinc Tullius, *auctoribus*, inquit, *uti optimis poſſumus, quod in omnibus cauſis & debet, & ſolet valere plurimum, & primum quidem omni antiquitate, quæ, pro propius ab ortu & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat* (b). Recte propterea Cl. Huetius, *teſtium*, ait, *eo major eſt fides, quo a re geſta propius abfuerunt, adeo ut æqualium certior ſit, quam recentiorum; præſentium, quam abſentium; certiſſima vero ſit eorum, qui rem oculis ſuis inſpexerunt* (c).

REGULA VI.

373. *Factum a viro magnæ probitatis, doctrinaque relatum pro certo habendum abſolute eſt.* Iniquum enim eſt ſuſpicari, virum quammaxi-

(a) Pro C. Rabirio Poſtumo.
(b) Lib. I. qq. Tuſcul. cap. 12.
(c) *Demonſtrat. Evangel.* axioma 2.

Digitized by Google

xime probum & doctum aut fuiſſe nimis credulum, aut mentiri voluiſſe. Sic vera cenſenda a nobis ſunt, certoque credenda ea omnia miracula, quæ a S. Auguſtino in libris tum *de civitate Dei*, tum *confeſſionum* referuntur. Ut enim ſapienter advertit Vir Cl., a fide prorſus abhorret, *virum gravem & prudentem voluiſſe mentiri de rebus adeo notis & populo manifeſtis. Poterat enim illico mendacii infinito teſtium numero coargui, quod ad Chriſtianæ Religionis dedecus & ignominiam non poterat non cedere. Secundo: quia nemo unquam Auguſtino juratior mendacii hoſtis extitit, cum integris libris conſtanter doceat, non tantum non licere unquam mentiri, ſed etiam horrendo crimine non carere eos, qui, etiam ut homines ad fidem facilius alliciant, mentiuntur* (a).

REGULA VII.

374. *Facta ſenſibilia multorum teſtium oculatorum diverſæ nationis factionisve teſtimonio, diverſis temporibus confirmata, tam certa cenſeri debent, quam ſi ea propriis oculis ipſi vidiſſemus*. Incredibile eſt enim, commentitium eſſe factum, quod teſtes plurimi oculati, non ſolum natione diverſi, verum etiam religione diſcordes, communi conſtantique prorſus animo, contigiſſe teſtantur. Cum enim in his nulla ſit affectuum vis, nulluſque amor partium, quinimo plurimum perſæpe odii, livoris, atque invidiæ, mente comprehendi nulla prorſus ratione poteſt, quomodo ad mendacium ſtabiliendum ſimul omnes conſpirare potuerint. Et ſane, cum de humani eventus exiſtentia agitur, aut nulla unquam fides danda hominibus eſt, aut certe ſumma tunc illis jure debetur, cum omnes, & quidem diverſæ nationis, atque ſectæ, in illius aſſerenda exiſtentia plane conſentiunt. *Non aliter enim*, inquit Cl. Huetius, *ſciri & credi poſſunt quæcumque ipſi oculorum noſtrorum teſtimonio non cognovimus, quam ex aliorum verbis; alioqui mediterraneus Oceanum eſſe non credet, nec Americam, aut Indiam eſſe credent Amſtelodamenſes, qui patrio ſolo nunquam exceſſerunt, & virgula divina ſibi ſuppeditari putabunt pretioſiſſimas merces, quæ inde quotannis referuntur* (b). Ratum itaque fixumque ſit præclarum illud Joſephi, *veracis ſcilicet hiſtoriæ indicium eſſe, ſi de rebus iiſdem omnes eadem dicant, & ſcribant* (c).

RE-

(a) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 14.
(b) *Demonſtrat. Evangel.* axioma 2.
(c) Lib. I. *contra Apionem*.

REGULA VIII.

375. *Facta antiqua per teſtes coævos, vel proxime coævos probari debent; nam ſecus, aut fabuloſa ſunt, vel quammaxime dubia.* Hanc regulam, merito atque optimo ſane jure, communi calculo admittunt Critici. Neque enim alia nobis adeſt certior via diſcernendi vera a fabuloſis, quæ ſæpe numero in hiſtoriis miſcentur. Hinc doctiſſimus Huetius *quoniam*, inquit, *æquales, & præſentes, & oculatos teſtes rebus geſtis diu ſupereſſe non patitur brevitas vitæ, inde fit, ut res a noſtra, vel patrum, aut avorum memoria remotas, nonniſi ex aliorum relatione noſcere, vel credere poſſimus, rerum oblivionem reparante hominum ſtudio, dum longinquitatem temporum memoria excipiente, monumentiſque poſteritati traditis repræſentant* (a).

REGULA IX.

376. *Factum antiquum nonniſi ex traditione nobis notum, pro vero habendum non eſt, niſi vel in ſe, vel ex ſuis circumſtantiis fuerit adeo ſolemne, ut ex coævis tantummodo teſtibus traditio ipſa oriri, atque in nos derivari potuerit.* Non enim eſt veriſimile, majores noſtros, ex quorum traditione notitiam facti habemus, tantæ fuiſſe ſimplicitatis, ut eventus ingentis ſtrepitus potuerit ab impoſtore fingi, & promulgari, quin eorum ne unus quidem in eventum ipſum inquireret, cognitaque veritate, mandaret poſterorum memoriæ, falſum illum fuiſſe, & plane commentitium. Nefas quoque eſt ſuſpicari, integram Communitatem ad tam ſolemne figmentum poſteris demandandum, una cum impoſtore, animo prorſus concordi, conſpirare voluiſſe. Ambigere itaque jure nequimus de veritate facti hiſtorici, quod nobis ex ſola traditione innoteſcit, ſi illud ſit adeo ſolemne, ut abſque ingenti ſtrepitu neque contingere, neque promulgari potuerit. At vero ſi factum vel in ſe, vel ex ſuis circumſtantiis ſit hujuſmodi, ut aliquibus tantum potuerit ab initio eſſe notum, cujuſmodi ſunt privata quędam miracula, fateor, ſolam non ſufficere traditionem, ut illud pro vero abſque ulla hæſitatione habeatur. Cum enim ex nimia dumtaxat quorundam ſimplicium, ac præcipue muliercularum, credulitatę potuerit hujuſmodi traditio oriri, digna non eſt profecto, cui plena a nobis fides tribuatur.

(a) *Demonſtrat. Evangel.* axioma 2.

Regula X.

377. *Factum antiquum, cujus nullam plane mentionem faciunt Scriptores, qui illud non potuerant ſolum, verum etiam notare debuerant, ſi revera contigiſſet, pro fabuloſo habendum eſt.* Duæ conditiones requiruntur, ut, cum agitur de antiqui facti exiſtentia, argumentum deſumtum ex veterum auctorum ſilentio vim habeat, recteque concludat. Prima eſt, *ut auctores antiqui potuerint factum ipſum notare.* Illud autem notare poterant, *primo*: ſi ratione loci vel temporis factum ipſum ſit tale, ut non potuerit ab illis ignorari. *Secundo*: ſi periculoſum eis non fuerit, aliquam ipſius facti mentionem facere. *Poſtremo*: ſi facilis ipſis fuerit de illo ſcribendi occaſio. Requiritur notitia facti; quia nulla illius fieri poteſt mentio, quod ignoratur. Verum nec ipſa notitia ſatis eſt, ſi abſque periculo factum illud literis conſignari nequierit. Eſt enim contra leges prudentiæ, ea in aperto ponere, quæ ſi palam fiant, nocere poſſunt. Hinc, quemadmodum in odioſis ſilentium haberi nequit pro conſenſu, ita in iis, de quibus loqui periculoſum eſt, ſilentium haberi minime poteſt pro ignorantia. Facilis quoque debuit illis eſſe occaſio ſcribendi. *Non enim*, ut optime advertit Vir Cl., *poſſunt convenienter annotari res geſtæ, ſi aut tantum habeatur notitia dubia, vel ſi ea hiſtoria non conveniat ſcopo operis, quod ſibi Scriptor propoſuit. Sicut enim noſtris temporibus multa a plurimis ſciuntur, quæ poſſent ſcribi pro notitia poſteritatis, etiam memorabilia, & tamen non ſcribuntur, quia vel occupationes, vel ſtatus, vel ſcopus cujuſvis viri docti non permittunt, ut de qualibet re memorabili ſcribat commentarium, ſic nec antiquitus id fieri potuit* (a). Secunda conditio eſt, ut *veteres Scriptores debuerint factum illud notare.* Cenſetur autem, munus fuiſſe veterum Scriptorum, literis conſignare rem geſtam, eamque poſterorum memoriæ demandare, ſi ad ea, de quibus illi jam ſcripſere, res ipſa plurimum faciat, fueritque adeo memorabilis, ut abſque injuria ab illis negligi haudquaquam potuerit. Concipi enim nullo modo poteſt, quomodo in tanti eventus ſilentio omnes plane conſenſerint. His ergo conditionibus poſitis, nemo, ut puto, inficiabitur, argumentum petitum ex veterum Scriptorum ſilentio maximi eſſe monumenti, illudque conferre plurimum ad vera facta ab iis diſcernenda, quæ olim ſæpenumero ab impoſtoribus conficta fuere, & modo etiam, ut ſimplices decipiant, haud raro a pleriſque finguntur, & veluti antiquiſſima prædicantur. Credat enim, qui poteſt, erudi-

(a) Amort. P. II. *Artis Criticæ* §. 4.

eruditos omnes in eo conſenſiſſe, ut factum illud ſilentio præterierint, quod memorari, & literis conſignare non potuiſſent ſolum, verum etiam debuiſſent, ſi vellent apud poſteros propriæ famæ conſulere.

S C H O L I O N.

378. Ne tamen in *argumenti negantis* uſu fallamur, *neceſſe eſt*, quemadmodum optime monet Cl. P Mabillonius, *nedum ſingulos evolviſſe Scriptores, ex quorum ſilentio tale argumentum eruitur, ſed inſuper nullatenus ambigere, num aliqui nobis deſint, qui fuerint ipſis contemporanei. Contingere namque poteſt, quod auctor, cujus ſcripta ad nos uſque minime devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen a ceteris fuerit prætermiſſa. Præterea manifeſta quadam ratione certi ſimus oportet, quod nihil de iis, quæ evenerunt, in materia, de qua agitur, Scriptorum illius ævi, qui nobis ſuperſunt, ſolertia præterierit* (a). Hoc itaque argumento nonniſi cum maxima cautela uti debemus, & quidem potiſſimum, ut idem ipſe advertit Vir Cl., *in materiis, quæ ſunt alicujus ponderis & momenti. Facillimum quippe eſt, inde hallucinari, ex nimia videlicet fiducia, qua cuncta legiſſe, atque notaſſe, aliquando præſumitur. Hinc tamen non obſtat, quin in ſimilibus caſibus liceat prudenter dubitare, uſque dum novum aliquod lumen menti obveniat vel ad conceptum dubium promovendum, vel ad ipſum affirmative, aut negative ultimo reſolvendum* (b).

R E G U L A XI.

379. *Factum hiſtoricum, ſufficientibus momentis probatum, rejiciendum, ut commentitium, ex eo non eſt, neque inter fabuloſa amandandum, quod poſſibilibus veroſimilibuſque tantummodo conjecturis contraria diluantur.* Profecto de millenis hiſtoriis, iiſque certiſſimis, dubitandum eſſet, ſi poſitivis rationibus confirmari oſtendique deberent conjecturæ, quibus contraria diluuntur. Hinc *nihil inſulſius*, inquit Vir Cl., *quorundam hujus ſæculi hæreticorum conatibus ad probandum, D. Petrum Romæ nunquam fuiſse. Negare quippe non poſſunt hanc veritatem, Scriptorum Eccleſiaſticorum omnium etiam antiquiſſimorum, ut Papiæ, S. Dionyſii Corinthii, Caii, S. Irenæi, Tertulliani teſtimoniis firmatam; cum tamen nec unus poſſit produci, qui id negaverit. Attamen rentur, poſse ſe hanc ve-*

(a) P. II. *de Studiis Monaſticis* cap. 13.

(b) *Ibidem*. Videatur P. Honoratus a S. Maria Tom. I. *Animad. in regulas & uſum Critices* Diſſert. III. artic. 2. §. 3.

veritatem ſolis conjecturis labefactare, cum dixerint, D. Paulum non meminiſſe S. Petri in epiſtolis Roma ſcriptis; & quando audiunt, illum tunc temporis potuiſſe Roma abfuiſſe (neque enim ita ſedem illic fixiſſe dicitur, quin ſæpiſſime digreſſus aliis in locis Evangelium diſſeminaverit) oggerunt, hoc ſine probatione dici, quod affatim ridiculum eſt; quia, cum res geſta, quam nituntur convellere, certiſſimis confirmatiſſimiſque accenſeatur, quæ in hiſtoriis Eccleſiaſticis narrantur, illorum erat oſtendere, ejus cum ſacris literis contrarietatem; cum Catholicis ſufficiat, umbratiles illas contrarietates eluere, quemadmodum eluuntur illæ, quæ in ſacris literis reperiuntur, & ad quas tollendas oſtenſum eſt, ſufficere ſolam poſſibilitatem (a).

ARTICULUS V.

Regulæ pro diſcernendis genuinis veterum Scriptorum operibus a ſuppoſititiis.

380. NE veterum Scriptorum auctoritati innixi, ea, veluti ab illis tradita, admittamus, ut vera, quæ illi forte ne ſomniarunt quidem, quinimo quæ eorum menti plane contraria fuere, curandum ſummo ſtudio ac diligentia eſt, ut *genuina* ipſorum opera a *ſuppoſititiis* diſcernantur. En igitur regulæ, quæ uſui eſſe poſſunt, ut in re adeo magni momenti mens noſtra recte ſe gerat.

REGULA I.

381. *Opus antiquo Auctori adſcriptum vel ſuppoſititium eſt, vel ſaltem apprime dubium, ſi toti antiquitati plane ignotum fuerit.* Nimirum ſi nullam prorſus illius mentionem fecerint, qui catalogum operum ipſius Auctoris nobis reliquerunt, quique alia allegarunt ejuſdem opera, & quidem potiſſimum ſi opus illud ſit hujuſmodi, ut non ſolum memorari ab illis potuerit, verum etiam debuerit, propterea quod nempe plura opus ipſum contineat, quæ magis, quam ea, quæ in allegatis aliis ejuſdem operibus habentur, eorum doctrinæ favent, vel adverſantur. Non enim videtur veriſimile, opus illud, ſi vere ejus eſſet, cujus nomen præfert, Scriptores omnes latuiſſe, qui contemporanei ipſi auctori fuere, omnemque in eo curam ac diligentiam collocarunt, ut operum ab illo conſcriptorum indicem texerent, & poſterorum memoriæ demandarent; & quidem præcipue, ſi opus illud

(a) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 13.

lud doctrinam complectatur, vel adeo bonam, ut commendari, vel adeo malam, ut ab illis oppugnari convellique debuerit.

S C H O L I O N.

382. Verum, ne in hoc quoque rerum genere, quemadmodum facile eſt, *negativo argumento* fallamur, velim animadvertantur, quæ (§. 378.) ex Cl. Mabillonio notavimus.

R E G U L A II.

383. *Si ſtylus, totiuſque orationis contextus in opere alicui Auctori adſcripto ſit ab eo plane diverſus, quo Scriptor ille in genuinis ſuis operibus uti ſolet, probabile plurimum eſt, opus eſſe ſuppoſititium.* Videtur namque fieri nequaquam poſſe, ut quis adeo ſtylum mutet, ut in verborum nitore, elocutionis forma, totiuſque orationis artificio a ſe ipſo plane differat. *Natura nulla eſt*, inquit Tullius, *quæ non habeat in ſuo genere res complures diſſimiles inter ſeſe, quæ tamen conſimili laude dignentur. Nam & auribus multa percipimus, quæ etſi nos vocibus delectant, tamen ita ſunt variæ ſæpe, ut id quod proxime audias, jucundiſſimum videatur. Et oculis colliguntur pene innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum ſenſum ſimili genere delectent, & reliquos ſenſus voluptates oblectant diſpares, ut ſit difficile judicium excellentis maxime ſuavitatis. At hoc idem, quod eſt in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad artes. Una fingendi eſt ars, in qua præſtantes fuere Myro, Polycetus, Lyſippus; qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt, ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem. Una eſt ars ratioque picturæ, diſſimillimi tamen inter ſe Zeuſis, Aglaophon, Apelles, neque eorum quiſquam eſt, cui quicquam in arte ſua deeſſe videatur. Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum & tamen verum, quanto admirabilius in oratione atque lingua; quæ cum in iiſdem ſententiis verbiſque verſetur, ſummas habet diſſimilitudines, non ſic, ut alii vituperandi ſint, ſed ut ii, quos conſtat eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur* (a). Nonnullis deinde commemoratis Oratoribus, atque Poetis, qui maxime claruere,, ſimulque paucis indicato, in quo eorum quiſque plurimum excelluerit, addit: *Quod ſi in nobis, qui adſumus, tantæ diſſimilitudines, tam certæ res cujuſque propriæ; & in ea varietate fere melius a deteriore, facultate magis, quam genere diſtinguitur; atque omne laudatur, quod in ſuo genere perfectum eſt; quid cenſetis, ſi omnes, qui-*

(a) Lib. III. *de Oratore* cap. 7.

qui ubique ſunt, aut fuerunt Oratores, amplecti voluerimus, numne fore, ut quot Oratores, totidem pene reperiantur genera dicendi (a). Quintilianus quoque docens, quantum interſit præceptoribus, *notare diſcrimina ingeniorum, & quo quemque natura maxime ferat, ſcire*, ſic ait: *Nam eſt in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum pene quam corporum formæ. Quod intelligi etiam in ipſis Oratoribus poteſt, qui tantum inter ſe diſtant genere dicendi, ut nemo ſit alteri ſimilis, quamvis plurimi ſe ad eorum, quos probabant, imitationem compoſuerint* (b). Itaque, ſi cuilibet auctori peculiaris quidam ſcribendi character eſt, adeo ut vix ac ne vix quidem inveniri in eodem auctore poſſit diverſitas in habitibus tam naturalibus, quam acquiſitis, in ingenii acumine, in directione conſilii, propenſioneque affectuum, in vocibus, in phraſibus, in argumentorum & ſimilitudinum copia, in eruditione & elegantiis, in totius demum doctrinæ ſyſtemate; non erit ſane, qui dubitet, quin tanta ſtyli diſſimilitudo, tantaque diverſitas, atque in omnibus hiſce numeris diſcrimen tantum, argumento ſit, ſi non certo, vel maxime ſaltem probabili, diverſi auctoris.

S C H O L I O N.

384. Dixi: *ſatis probabiliter colligi, diverſum eſſe auctorem illorum operum, in quibus tantum occurrit ſtyli diſcrimen*. Arbitror enim, quamlibet ſtyli diverſitatem nequaquam ſatis eſſe, ad certum ferendum ex hoc capite de diverſo auctore judicium. Ut enim optime obſervat doctiſſimus Mabillonius, *unius etiam ejuſdem auctoris ſtylus multifarius quandoque dignoſcitur. In aliquo namque interdum opere, qua elegantior, quave neglectior apparet, quemadmodum in Patrum homiliis ſæpe notatur. Præterea unus idemque auctor jam ætate confectus videtur ſibi ipſi, cum adhuc junior eſſet, plerumque diſſimilis. Quinimo magna e contrario in auctorum ſtylo uniformitas ſæpenumero cernitur, qui ſibi ſynchroni extitere: quod tamen, niſi maturo quis fuerit ingenio præditus, Scriptorumque peritiſſimus, ægre comperiet. Denique Didaſcalorum ſtylum diſcipulos ad unguem fuiſſe aliquando imitatos, minime latet, ut liquet in Nicolao Claravallenſi, qui illum Doctoris Mellifluі plane eſt aſſecutus* (c). Idipſum quoque S. Gregorii teſtimonio clare luculenterque oſtenditur. *Quamvis enim*, inquit S. Doctor, *in prolixo opere eſſe culpabilis ſtyli diverſitas non debeat, ne quis tamen me ex locutionis mutatione reprehendat, in epiſtola libris præmiſſa cau-*

ſam

(a) Lib. III. *de Oratore* cap. 9.
(b) Lib. II. *Orator. Inſtit.* cap. 8.
(c) De *ſtudiis Monaſticis* P. II. cap. 13.

Digitized by Google

ſam reddidi, cur tertiam hujus operis partem ad aliarum uſque ſimilitudinem minime emendando perduxi. Quibus ſcilicet excluſis, hoc quoque additur, quod in hac parte tam multa ſint, ut in uno corpore comprehendi non poſſint, niſi ſub magna brevitate dicerentur. Igitur, quoniam in ea multa ſunt, ſicut me loquente excepta ſunt, ita dereliqui. Immutationem ſtyli Lector meus æquanimiter accipe; quia & ſæpe eoſdem cibos edentibus diverſitas placet coctionis (a). Ut igitur ex ſtyli diverſitate inferri jure ac merito poſſit, auctorem operis alium ab eo eſſe, cui illud vulgo tribuitur, tanta ea debet eſſe, quanta in eodem auctore inveniri minime ſolet. Hinc eximia eruditione, ſummaque non linguæ ſolum, verum etiam Scriptorum omnium peritia opus eſt, ut hac ſuper re certum tutumque judicium proferatur; ac proinde intereſſe plurimum, ut prudens Criticus caute hac in parte ſe gerat (b).

REGULA III.

385. *Opus, in quo res, vel perſonæ memorantur, ævo Scriptoris, cui opus illud vulgo inſcribitur, certo poſteriores, pro ſuppoſititio habendum eſt.* Cum enim fieri minime poſſe videatur, ut aliquis res illas referat, quæ poſteriori dumtaxat ævo contigerunt, eaſque perſonas commemoret, quæ ſua fuerunt ætate poſteriores, genuinum profecto cenſeri nequit opus, in quo tam grande vitium deprehenditur.

REGULA IV.

386. *Vocabula, quæ longe, poſtquam Auctor ſcripſerit, uſu eſſe cœperunt, ſunt argumentum probabile operis ſuppoſititii.* Rationi enim parum conſonum eſt, ea auctorem adhibuiſſe vocabula, quorum inventio Scriptoribus poſterioris ævi accepta refertur. Porro dixi, id non eſſe argumentum niſi probabile. Fateor quippe, hujuſcemodi vitium ex poſterorum malitia in ipſa opera irrepere potuiſſe.

REGULA V.

387. *Probabiliter ſuppoſititium illud opus cenſeri poſſe videtur, quod ſententias continet in re magni momenti iis plane contrarias, quæ in genuinis ejuſdem Scriptoris operibus ex profeſſo traduntur, quin auctor ipſe ullo in loco lectorem monuerit, ſe ea ſuper re opinionem ſententiamque*

(a) Lib. XI. *Moralium* cap. 1.

(b) Videatur P. Honoratus a S. Maria Tom. I. *Animadverſ. in regulas Critices.* Differt. III. art. 7.

quæ mutaſſe. Enimvero, ut recte advertit Caveus (a), ab omni penitus veriſimilitudinis ſpecie abhorret, Scriptorem prudentem, gravem, & eruditum ſibi plane ad evidentiam adverſari, oppoſitaſque in re magni momenti ſententias tradere, vel tueri, quin aliquo in loco ne leviter quidem tantæ mutationis, tantique diſcriminis mentionem fecerit, docueritque, cur hac in parte non ſibi plane conſenſerit. Dixi autem: *auctorem in re magni momenti ſibi refragari debere, ut opus probabiliter ſaltem ſuppoſititium cenſeatur*. Non enim inficior, contingere interdum poſſe, ut Scriptor vel memoriæ vitio, vel diſputationis æſtu, in rebus levioris ponderis, & quidem in iis potiſſimum, de quibus nonniſi incidenter agit, non ſibi plane conſentiat.

REGULA VI.

388. *Certo ſuppoſititium cenſendum eſt opus, quod omnino latuit Scriptores coævos; rerum, perſonarumve poſterioris ætatis mentionem facit; vocabula continet recens inventa; ſententias complectitur in re magni momenti iis plane contrarias, quæ in genuinis ejuſdem Scriptoris operibus traduntur; cujuſque demum ſtylus diverſus ab eo omnino eſt, quem Scriptor ipſe adhibere ſolet*. Cum certiſſime conſtet, atque inter eruditos omnes plane conveniat, fuiſſe olim, qui, ut auctoritatem ſuis ſcriptis conciliarent, iiſque eventibus fidem acquirerent, quibus nulla alioquin tribueretur, ſummorum Virorum nominibus ſua ipſa opera inſcriberent; nemo certe ibit inficias, fieri viciſſim potuiſſe, quinimo factum reipſa non ſemel eſſe, ut opus viri eximii malitioſe ab aliquo vitiatum fuerit, novis ſcilicet quibuſdam, planeque inuſitatis in illud intruſis vocibus, depravato textu, mutatiſque ſententiis, ut hinc ſcilicet opus ipſum alteri minoris auctoritatis, & famæ Viro perperam adjudicaretur, vel ſaltem dubium poſteris redderetur. At vero neminem ambigere jure poſſe contendo, quin ſuppoſititium ſit opus, in quo omnia, quæ modo memoravimus, falſitatis momenta deprehenduntur. Neque enim profecto inter opera diverſorum Auctorum adeó facile occurrere mihi poſſe videtur tam grande diſcrimen.

REGULA VII.

389. *Genuinum cenſendum eſt opus, cui conſtans perpetuaque favet traditio*. Videlicet dubitare nullo prorſus modo debemus, quin opus illud

(a) Prolegom. in Opus de *Script. Eccl.* Sect. IV. num. 5. *edit. Coloniæ Allog:b.* 1720.

illud genuinum ſit, in quo tota ipſa conſenſit antiquitas. Hæc regula luculentiſſimo S. Auguſtini teſtimonio demonſtratur. Manichæos enim alloquens S. Doctor, ſic ait: *Quid vobis faciam, quos contra teſtimonia Scripturarum ita obſurdefecit iniquitas, ut quidquid adverſus vos inde prolatum fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo falſario ſub ejus nomine ſcriptum eſſe, dicere audeatis? Uſquè adeo a Chriſtiana doctrina aperte aliena eſt, quam prædicatis, doctrina dæmoniorum, ut eam ſub Chriſtianæ doctrinæ nomine defendere nulla ex parte poſſitis, niſi dicatis, falſas eſſe Scripturas Apoſtolorum. Infelices inimici animæ veſtræ! Quæ unquam literæ ullum habebunt pondus auctoritatis, ſi Evangelicæ, ſi Apoſtolicæ non habebunt? De quo libro certum erit, cujus ſit, ſi literæ, quas Apoſtolorum dicit & tenet Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apoſtolorum ſint, incertum eſt? Et hoc erit certum, ſcripſiſſe Apoſtolos, quod huic Eccleſiæ contrarii hæretici proferunt, auctorum ſuorum nominibus appellati longe poſt Apoſtolos exiſtentium? Quaſi vero & in literis ſæcularibus non fuerunt certiſſimi Auctores, ſub quorum nominibus poſtea multa prolata ſunt, & ideo repudiata, quia vel his, quæ ipſorum eſſe conſtaret, minime congruerunt, vel eo tempore, quo illi ſcripſerint, nequaquam innoteſcere, & per ipſos, vel familiariſſimos eorum in poſteros prodi commendarique meruerunt. Nonne, ut alios omittam, ſub Hippocratis medici nobiliſſimi nomine quidam libri prolati, in auctoritatem a Medicis non recepti ſunt? Nec eos adjuvit nonnulla ſimilitudo rerum atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis eſſe conſtaret, impares judicati ſunt, & quod ab eo tempore, quo & cetera ſcripta ejus, non innotuerunt, quod vere ejus eſſent. Hos autem libros, quibus illi, qui de tranſverſo proferuntur, comparati reſpuuntur, unde conſtat eſſe Hippocratis? unde, ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur; niſi quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore uſque ad hoc tempus, & deinceps, ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementia ſit? Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque hujuſmodi Authorum libros, unde noverunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? Multi multa de literis Eccleſiaſticis conſcripſerunt, non quidem auctoritate canonica, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive dicendi. Unde conſtat, quid cujus ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit, inſinuavit atque edidit, & inde in alios atque in alios continuata notitia, latiuſque firmata ad poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus, quid reſpondere debeamus? ſed quid pergam in longe præterita? Ecce iſtas literas, quas habe-*

Digitized by Google

habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ hujus noſtræ, vel illas quiſquam Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, unde convincitur, niſi quia illi, qui nunc iſta noverunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt futuros, continuatis poſterorum ſucceſſionibus, traiiciunt? Quæ cum ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatus, niſi dæmoniorum, mendaciloquorum malitia atque fallacia, conſentiendo ſubverſus ſit, qui dicat, hoc mereri non potuiſſe Apoſtolorum Eccleſiam; tam fidam, tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent, cum eorum cathedras uſque ad præſentes Epiſcopos certiſſima ſucceſſione ſervaverint; cum hoc qualiumcumque hominum ſcriptis, ſive extra Eccleſiam, ſive in ipſa Eccleſia, tanta facilitate proveniat (a). *Quod ſi quis*, inquit doctiſſimus Huetius, *ne id quidem ad fidem faciendam ſatis firmum putet, videat, quo argumento probare poſſit proavita bona hæreditario jure ad ſe pertinere; nec tutior eſt enim publicarum tabularum, aut domeſticorum inſtrumentorum auctoritas, quam hiſtoriæ; imo etiam infirmior. Illorum enim cuſtodes ſunt pauci homines & obſcuri; hujus vero univerſus Orbis* (b). Itaque ne leviter quidem dubitandum eſt, genuinum eſſe librum, qui, ut ille ait Vir Cl., *genuinus habitus eſt ab omnibus proxime continuata ſerie ſequentibus eum ætatibus.*

REGULA VIII.

390. *Dubitare nullo prorſus modo licet de opere, quod ex manuſcriptis eſtimatione dignis, ex uniformitate ſtyli, atque doctrinæ, ex Veterum teſtimonio, & ex rebus geſtis, quæ in illo narrantur, authenticum probatur.* Enimvero, ſi pro dubio habendum eſt opus, cui hæc omnia favent momenta, nullum certe eſt, quod genuinum jure cenſeri queat. Quatuor itaque ſunt ex doctiſſimo Mabillonio, quibus opera vera & authentica a falſis & ſuppoſititiis diſcerni certiſſime poſſunt, nimirum *ſi aliqua manuſcripta exiſtimatione digna, eaque in primis, quæ magis Auctori coæva videntur, in fronte, vel etiam in calce operis nomen ejuſdem gerant. Si ſtylus fuerit ubique conformis alteri ceterorum Auctoris Operum, ſicut & principia ac opiniones. Si ſcriptores ſive ſynchroni, ſive pene ſynchroni, ejuſmodi opus eidem Auctori certo adſcribant. Si denique nihil geſtum in hoc opere legatur, quin cum hiſtoria ſui ævi concordet* (c).

AR-

(a) Lib. XXXIII *contra Fauſt m* cap. 6.
(b) *Demonſtrat. Evangel.* axiom. I.
(c) P. II de *Studiis Monaſticis* cap. 1:.

ARTICULUS VI.

Regulæ pro ferendo judicio de futuritione contingentium.

391. QUam facile ſit in errorem labi, cum de futuritione eventuum contingentium, & quidem eorum præcipue, qui nos ipſos concernunt, judicium ferendum a nobis eſt, neminem fugit. Ut enim ſilentio præteream, judicia noſtra in hoc rerum genere conjecturis, quæ ſæpenumero nos fallunt, dumtaxat inniti, res perſpecta eſt, aut lucrum, quod hinc ſperamus & cupimus, aut periculum damni, quod inde timemus, illud eſſe ut plurimum, quod unice nos ad judicandum tunc movet, ac ferme impellit. Igitur ne, cum de contingentium futuritione judicare cogimur, temere agamus, memori animo mandentur velim, quæ ſequuntur.

REGULA I.

392. *Ut prudens de futuritione eventus contingentis judicium feratur, perſpectæ nobis eſſe debent circumſtantiæ, quæ illius exiſtentiam præcedere ſolent.* Enimvèro nonniſi ex circumſtantiis, quæ contingentis eventus exiſtentiam antecedunt, colligere rationabiliter poſſumus eventum ipſum futurum eſſe, vel non futurum. *Omnis opinabilis divinatio*, inquit Tullius, *conjectura nititur, ultra quam progredi non poteſt. Ea fallit fortaſſe nonnunquam; ſed tamen ad veritatem ſæpiſſime dirigit. Eſt enim ab omni æternitate repetita; in qua cum pene innumerabiles res eodem modo evenirent, iiſdem ſignis antegreſſis, ars eſt affecta, eadem ſæpe animadvertendo atque notando* (a). Profecto, ut advertit Vir Cl., *quemadmodum rem probabiliter factam judicamus, cum tales circumſtantias cernimus, quales ut plurimum rem talem factam comitantur; ita non minus probabiliter pronunciamus, quidpiam eventurum, cum eas circumſtantias coram videmus, quas ut plurimum tale quid conſequitur. In hunc modum fauſta infauſtaque Medici ominantur; de futura belli alea Imperatores judicant, ceterique mortales ceteris de rebus contingenter futuris pronunciant* (b).

RE-

(a) Lib. de *Divinatione* cap. 14.
(c) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 16.

REGULA II.

393. *Quod in certis quibuſdam circumſtantiis nunquam accidit, cenſendum in illis eſt ſaltem moraliter impoſſibile.* Illud namque dicitur *moraliter impoſſibile*, quod licet non repugnet, neque ſit contra phyſicas naturæ leges, ipſum fieri, nunquam tamen fit.

REGULA III.

394. *Quod in certis quibuſdam circumſtantiis ſemper contingit, certo futurum, illis poſitis, pronuntiandum eſt.* Sic, quoniam poſita ſtuppa prope ignem, ſemper illius fit combuſtio, hujuſmodi conditione poſita, dicere tuto poſſumus, fore, ut combuſtio ſequatur. Ratio itaque hujus regulæ eſt, quia inter illas circumſtantias, ipſumque eventum neceſſaria hoc ipſo adeſt connexio, quamvis in quonam poſita ea ſit, nos penitus lateat.

REGULA IV.

395. *Quod in certis quibuſdam circumſtantiis aliquando accidit, aliquando non accidit, contingens in illis omnino eſt; atque adeo nonniſi temere, illis poſitis, pronuntiare poſſumus, eventum ipſum certo eſſe futurum.* Cum enim in illis circumſtantiis eventus non ſemper contingat, neceſſaria inter illas circumſtantias, atque eventum ipſum connexio non eſt. Ergo nobis haudquaquam licet, certum de illius futuritione judicium pronuntiare.

REGULA V.

396. *Probabiliter futurum in certis quibuſdam circumſtantiis cenſendum eſt, quod, illis poſitis, ut plurimum accidit.* Eſt enim probabile, Ariſtotelis ſententia, *quod non ſemper, ſed ut plurimum verum eſt* (a) ſive, ut ait Tullius, *quod fere fieri ſolet* (b). Sic, poſita ſerotina cœli rubedine, probabilis eſt matutina ſerenitas; quia, experientia teſte, ita ut plurimum accidit.

SCHO-

(a) Lib. II. *Rhetor.* cap. 7.
(b) Lib. I. *de Inventione* cap. 21.

SCHOLION I.

397. Futuritio eventus contingentis, quibuſdam poſitis circumſtantiis, ex eo non deſinit eſſe *probabilis*, quod illius contrarium, iiſdem poſitis, quandoque contingat. Si namque res tunc ſemper ex voto ſuccederet, jam non *probabiliter*, ſed *certo* eſſet futura. Falluntur ergo, qui probabile de eventus ſuturitione judicium ea de cauſa vitiari putant, quod fallax interdum ſit, votiſque noſtris non ſemper res ipſa reſpondeat.

SCHOLION II.

398. Pro definienda *probabilitate*, quæ contingentis eventus futuritioni jure debetur, determinemus oportet, quoties intra certum caſuum numerum, illis poſitis circumſtantiis, eventus ipſe contingat. *Probabilitas* namque ſuturitionis eventus eam proportionem habebit ad *certitudinem*, quam habet numerus ille caſuum, in quibus contingere ipſe ſolet, ad numerum integrum eorundem. Nimirum, ſi intra *decem* caſus, poſita ſerotina cœli rubedine, *ſepties* contingat mane ſerenum, *probabilitas* futuræ ſerenitatis in mane, poſita ſerotina rubedine, erit ad *certitudinem*, ut 7 ad 10 (§. 320.), eamque *probabilitatem* fractio $\frac{7}{10}$ deſignabit (§. 321.).

REGULA VI.

399. *Effectus contingens eo frequentius accidit, quo proxima ad illam diſpoſitio ſæpius in cauſa occurrit.* Conſtat enim, regulariter contingere effectum, cum ad illum producendum proxima in cauſa habetur diſpoſitio.

REGULA VII.

400. *Eo probabilior, certis poſitis circumſtantiis, contingentis eventus futuritio eſt, quo magis cauſa in effectum ipſum ex ſe eſt prona.* Effectus enim regulariter ſequitur naturalem inclinationem cauſæ. Sic pronus ad gulam, ſi non certo, ſaltem valde probabiliter, toties peccabit, quoties magna ciborum copia illi præſto erit.

RE-

Digitized by Google

REGULA VIII.

401. *Quando cauſa eſt æque ex ſe diſpoſita ad plures effectus, præſumptio pro illorum uno certo & determinato, eſt ad veritatem, ut unitas ad numerum omnium effectuum poſſibilium*. Ut ſi nonniſi ſeptem ſint effectus, qui poſſunt a cauſa produci; ipſaque cauſa ſit ad omnes æque diſpoſita, præſumptio pro illorum uno certo & determinato erit ad veritatem, ut 1 ad 7; ac proinde, quanta *probabilitate* is præ aliis futurus ſit, fractio $\frac{1}{7}$ determinabit.

SCHOLION.

402. Ex hac regula facile quiſque comperiet, quanta ſit eorum dementia, qui aleæ, aliiſque id genus ludis dant operam, ſpemque lucri in illis collocant. Determinato ſiquidem omnium poſſibilium caſuum numero, factaque eorum, qui ſibi favent, cum illo integro omnium numero comparatione, initoque calculo, conſtabit plane, levem adeo eſſe proſperi eventus *probabilitatem*, ut mera potius *poſſibilitas* dicenda illa ſit; eventus vero contrarii *probabilitatem* eſſe tantam, ut a *morali certitudine* ne latum quidem unguem diſtet.

REGULA IX.

403. *Improbabilis cenſenda eſt futuritio eventus contingentis in iis circumſtantiis, quibus poſitis, eventus ipſe nonniſi rariſſime contingit*. Nulla quippe eſt *probabilitas* motivi, quod fere ſemper nos fallit.

SCHOLION.

404. Hæc regula maximi eſt momenti, potiſſimum cum de moderanda ſpe, metuque noſtro intra rectæ rationis limites coercendo, res agitur. *Sunt plurimi*, inquit Vir doctiſſimus, *qui audito tonitru, miſere pallent, trepidantque. Quod ſi hic cæli fragor Dei mortiſque meditationem inducit, eja bene eſt; neque ſane in his meditandis nimii eſſe poſſunt. Si vero ſolius mortis a fulmine periculum illud ſit, quod eos tanta formidine exanimat, difficile non erit oſtendere, quantum illi deſipiant. Nam e vigeſies centenis hominum millibus inſolens eſt, ut vel unus*

de

Digitized by Google

de cælo tactus intereat; imo affirmare poſſumus, inter neces violentas vix ullam fulminatione infrequentiorem. Cum itaque timor mali creſcere minuique debeat, tum ſecundum magnitudinem mali, tum etiam ſecundum probabilitatem, ut ita dicam, futuritionis, quemadmodum fulmen inter cauſas mortis rariſſimum, ita ex omnibus quamminime timendum; cum inſuper ille timor nihil conferat ad vitam in illo articulo ſoſpitandam. Hic non tantum rationes peti poſſunt ad illorum errores corrigendos, qui in valetudine curanda moroſe & intempeſtive cauti ſunt (docendi quippe erunt, hanc cautionum farraginem majus malum eſſe, quam mali ipſius tanto diſtantis intervallo periculum) ſed etiam ad tot alios in rationis orbitas reducendos, qui non aliter ceteris in rebus diſcurrunt: Periculi hoc, *ajunt*, plenum eſt, ergo & malum; illud quæſtuoſum, ergo & bonum. *Non enim ex periculo, & ſpe quæſtus, ſed ex horum ad invicem comparatione, pronuntiandum eſt* (a).

REGULA X.

405. *Nihil pronuntiandum eſt de futuritione eventus contingentis in iis circumſtantiis, quibus poſitis, compertum eſt, futuritionem toties ex æquo fallere, quoties non fallit.* Cum enim futuritio eventus hoc ipſo ſit dubia (§. 331.), nihil prorſus ea ſuper re definire nobis licet, ſed cohibendum judicium eſt, ne temere agamus.

(b) Auctor *Artis cogitandis* P. IV. cap. 16.

LOGICES
PARS TERTIA.
De ratiocinatione, ſive diſcurſu.

POſt *judicium* conſideranda nobis occurrit *ratiocinatio*. Quamvis autem inter mentis noſtræ operationes tertium hæc locum teneat, illius tamen utilitas tanta eſt, ut *perceptioni*, atque *judicio* præferenda videatur. Innumera quippe ſunt, quæ nos prorſus laterent, ſi nobis deeſſet *ratiocinandi* vis, ſolaque *percipiendi* facultate donaremur. Quæ igitur ad hanc eximiam mentis noſtræ operationem maxime ſpectant, paucis hoc loco exponemus, & clarius, quoad fieri a nobis poterit, explicabimus.

SECTIO PRIMA.

Exponitur ratiocinationis natura, ejuſque generalia principia traduntur.

I.

406. R*Atiocinatio*, ſive *diſcurſus*, eſt illa humanæ mentis operatio, qua ignotum ex noto colligitur, ſeu, *quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit* (a), quodque dubium eſt, *per id quod non eſt dubium, confirmat* (b). Sic *ratiocinari* dicitur mens, cum infert, animam rationalem ex eo eſſe immortalem, quod ſpiritualis ſubſtantia ipſa ſit, omniſque hujuſcemodi ſubſtantia corruptionis ſit expers.

II.

407. *Ratiocinationis* neceſſitas ex eo in nobis naſcitur, quod non omnium duarum quarumcunque idearum habitudinem valeamus uno ſimplici intuitu attingere. Hinc enim fit, ut tertiam quamdam ideam in ſubſidium vocare cogamur, eaſque cum illa comparare, atque ſimul omnes conferre inter ſe mutuo. Res liquido ex ea *ratiocinatione*

(a) Tullius lib. IV. *qq. Accadem.* cap. 8.
(b) Quintilianus lib. V. *Inſtit. Orator.* cap. 10

ne apparet, qua animam rationalem immortalem eſſe cognoſcimus. Cum enim ex ſola animæ rationalis, & immortalitatis perceptione id minime nobis conſtet, tertiam ideam, *ſpiritualis* ſcilicet *ſubſtantiæ*, aſſumimus; factaque tum animæ rationalis, tum immortalitatis cum hac tertia idea comparatione, cum hinc reluceat, *immortalitatis* attributum in notione *ſubſtantiæ ſpiritualis* contineri; attributum vero *ſpiritualis ſubſtantiæ* in idea *animæ rationalis* comprehendi, inferimus, animam quoque rationalem immortalitatis prærogativa donari; atque adeo illam cum corpore nequaquam in morte diſſolvi. Clarius ergo definiri poſſe videtur *ratiocinatio*: *operatio finita mentis, qua ex nota habitudine duarum idearum ad tertiam, cui illæ comparantur, earundem habitudo inter ſe, quæ antea ignorabatur, colligitur.*

III.

408. Tria propterea in quavis *ratiocinatione* recte a Logicis diſtinguuntur, *antecedens* ſcilicet, *conſequens*, & *conſequentia*. *Antecedens* ſunt illa judicia, ex quibus aliud infertur. *Conſequens* eſt judicium, quod ex aliis deducitur. *Conſequentia* vero, ſive *illatio*, eſt ipſa *conſequentis* ex *antecedente* conſecutio. *Antecedens* verſatur totum in comparatione duarum idearum cum tertia. *Conſequens* vero in comparatione earundem inter ſe. Sic in hoc diſcurſu:

Omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis.
Anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis.
Ergo anima rationalis eſt immortalis.

antecedens ſunt duo illa judicia: *omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis*, & *anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis*. *Conſequens* eſt judicium ex illis illatum: *anima rationalis eſt immortalis*. *Conſequentia* vero eſt ipſa deductio, ly *ergo* expreſſa.

IV.

409. Hinc optima eſt *ratiocinatio*, ſi *conſequens* ex *antecedente* ita ſequatur, ut hoc ſit veluti illius cauſa. Profecto habitudo duarum idearum ad tertiam in *antecedente* poſita, eſt veluti principium, ratio, ſive cauſa, cur duæ ipſæ ideæ vel ſimul conjungantur in *conſequente*, vel a ſe mutuo ſeparentur. Id unum ergo neceſſario poſtulat *ratiocinatio*, ut *antecedens*, perinde omnino atque cauſa ſuum effectum, *conſequens* complectatur, certoque modo contineat.

 410. Ar-

V.

410. *Argumentio* eſt ipſa tota interna mentis *ratiocinatio* verbis expreſſa. Definitur propterea : *oratio ex pluribus propoſitionibus conſtans, ea ratione diſpoſitis inter ſe, ut una ex aliis inferatur*. Sicut enim *ratiocinatio* judicia plura complectitur, ita *argumentatio* plures propoſitiones contineat, neceſſe eſt. Mentis quippe judicium, ut diximus ſuo loco, vocali propoſitione exprimitur. Non omittendum tamen, *argumentationem*, & *ratiocinationem* promiſcue plerunique accipi, eaque haud raro etiam de *ratiocinatione* intelligi, quæ de *argumentatione* traduntur.

V I.

411. Spectata porro *conſequentis* natura, dividitur *argumentatio* in *affirmativam*, & *negativam*. Prior eſt, cujus *conſequens* eſt propoſitio affirmativa; poſterior, cujus *conſequens* eſt propoſitio negativa. Sicuti autem hujuſcemodi propoſitiones omnino diverſæ ſunt inter ſe, ita plane diverſa ſunt principia, quibus utraque argumentatio innititur.

PRINCIPIA

Argumentationis affirmativæ.

I.

412. *Quæ conveniunt cum aliquo tertio, conveniunt quoque inter ſe,* ſive, ut ajunt Scholæ, *eadem ſunt ſibi mutuo, quæ cum aliquo tertio ſunt idem*. Ut ſi duæ ideæ A, B ea ratione conveniant cum tertia idea C, ut ipſa idea C affirmari de utraque poſſit, convenient quoque duæ ipſæ ideæ A, B inter ſe mutuo, earumque una jure poterit de altera affirmari. Nempe A erit B, ſi tam A, quam B fuerit C.

I I.

413. *Quidquid affirmatur de idea univerſali ſumta ſecundum integram ſuam extenſionem, affirmari etiam poteſt de quovis, quod ſub illa continetur*. Ut ſi de idea *hominis* univerſaliter ſumta affirmari poteſt *rationalitas*, hoc idem attributum affirmari etiam poterit de quolibet homine. Hoc principium vocant Scholæ: *dici de omni*.

PRIN-

P R I N C I P I A

argumentationis negativæ.

I.

414. *Si una duarum idearum conveniat cum tertia, cum qua altera non convenit, illæ duæ ideæ componi minime poſſunt inter ſe.* Ut ſi idea A conveniat cum idea C, cui adverſetur idea B, duæ ideæ A, B adeo pugnabunt inter ſe, ut ſimul in uno componi nullatenus poſſint.

S C H O L I O N.

415. Silentio prætereundum hoc loco non eſt, pugnam duarum idearum inter ſe optime colligi ex pugna unius ex illis cum tertia, cum qua altera convenit; at vero nonniſi perperam inferri pugnant ipſam ex eo poſſe, quod neutra illarum idearum cum tertia conveniat. Duæ enim ideæ poſſunt ſimul eidem adverſari, quin non ſolum non adverſentur ſibi mutuo, verum etiam etſi quammaxime inter ſe conveniant. Profecto *anima rationalis*, & *immortalitas*, ſi conferantur cum idea *ſubſtantiæ corporeæ*, ita ſe habent, ut neque *animæ rationali* inſit ratio *ſubſtantiæ corporeæ*, neque *corporeæ ſubſtantiæ* competere aliquo modo poſſit attributum *immortalitatis*, & tamen *anima rationalis*, & *immortalitas* adeo conveniunt inter ſe, ut ſimul in uno perfectiſſime componantur.

II.

416. *Quidquid negatur de idea univerſali ſumta ſecundum integram ſuam extenſionem, negatur de omni eo, quod in extenſione ipſius ideæ continetur.* Ut, ſi nullus homo natura ſua eſt immortalis, neque Petrus natura ſua immortalitatem habebit. Hoc igitur principium appellari ſolet in Scholis: *dici de nullo*.

Regulæ optimæ illationis.

417. Duplex eſt *illatio*, *materialis*, & *formalis*. *Formalis* vocatur *illatio*, cum *conſequens* ſequitur ex *antecedente*, veluti effectus a ſua cauſa; atque adeo ea lege, ut ideo præciſe *conſequens* ſit verum, quia

verum eſt antecedens, ex quo deducitur. *Materialis* vero e contrario *illatio* eſt, cum *antecedens* non ita eſt cauſa *conſequentis*, ut hujus veritas ex illius veritate proveniat. Sic *formalis* eſt *illatio*, qua infertur, *Petrum eſſe animal*, ex eo quod *omnis homo ſit animal*, & *Petrus ſit homo*; quia connexio *animalitatis* cum *Petro* ſequitur neceſſario ex harum idearum connexione cum idea *hominis*. At contra hæc *illatio* nonniſi *materialis* eſt: *Petrus eſt homo*; *ſed Petrus eſt animal*; *ergo omnis homo eſt animal*. Quandoquidem licet *conſequens* veritati conſentiat, non ideo tamen eſt verum, quia verum ſit *antecedens*, ex quo deducitur; ſed quia, ratione *materiæ neceſſariæ*, in qua hujuſcemodi *ratiocinatio* verſatur, non poteſt aliquis *homo* eſſe *animal*, quin *animalitas* cuilibet etiam *homini* competat. Pro dignoſcenda itaque *formali illatione*, eaque a *materiali* diſcernenda, ſequentes regulæ traduntur.

REGULA I.

418. *Optima eſt illatio, ſi ex contradictorio conſequentis ſequatur contradictorium antecedentis.* Sic animam rationalem eſſe immortalem, optime ex eo colligitur, quod omnis ſubſtantia ſpiritualis, cujuſmodi eſt ipſa anima, immortalitatis munere polleat; quia ſcilicet nequit anima rationalis ſubiici corruptioni, quin hoc eodem vitio ſpiritualis aliqua ſubſtantia laboret; ac proinde quin contradictorium illius antecedentis: *omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis*, contra ac fieri poſſit (§. 236.), ſimul veritati conſentiat. Hujus autem regulæ evidens ratio eſt. Sicuti enim ex convenientia duarum idearum cum tertia ſequitur convenientia earundem inter ſe (412.), ita ex eo, quod duæ ideæ minime ſibi mutuo conſentiant, ſequitur, eas nunquam poſſe cum tertia convenire. Similiter, quemadmodum ex eo, quod una duarum idearum conveniat cum tertia, cum qua altera minime convenit, infertur optime, eas non convenire inter ſe (§. 414.), ita viciſſim, ſi duæ ideæ conveniant inter ſe mutuo, neceſſe eſt, ut utraque conveniat cum illa, cum qua illarum una optime convenit.

REGULA II.

419. *Illatio eſt optima, ſi verum eſſe nequeat antecedens, quin verum ſit conſequens.* Cum enim id, quod ex alio legitima *ratiocinatione* infertur, in illo, perinde atque effectus in ſua cauſa, continea-

tur

tur (§. 409.), ſi optima eſt illatio, nequit *antecedens* ut verum admitti, niſi etiam *conſequens* pro vero habeatur.

Regula III.

420. Hinc *ex vero nonniſi verum poteſt legitima illatione deduci; ac proinde ex falſo nonniſi falſum jure colligitur*. Falleret nempe regula ſuperiori loco poſita, ſi falſum ex vero poſſet optima illatione inferri. *Teneamus itaque*, inquit Tullius, *illud, neceſſe eſt, cum conſequens aliquod falſum ſit, illud, cujus id conſequens ſit, non poſſe eſſe verum* (a).

Species argumentationis.

421. Septem ſunt *argumentationis* ſpecies, nimirum *ſyllogiſmus, enthymema, epichirema, dilemma, ſorites, inductio,* & *exemplum*.

SECTIO SECUNDA.

De ſyllogiſmo.

422. CUm ex *ſyllogiſmo* reliquæ omnes *argumentationis* ſpecies, veluti ex ſupremo capite, prodeant, ipſa rei natura poſtulat, ut in illis ſingillatim explicandis, exordium a *ſyllogiſmo* ſumatur.

I.

423. Eſt itaque *ſyllogiſmus* ex Ariſtotele *oratio, in qua, quibuſdam poſitis, aliud quidpiam ab his, quæ poſita ſunt, neceſſario ſequitur, ex eo quod hæc ſint* (b). At, ne quid diſſimulem, cum in omni *argumentatione* unum ex alio deducatur (§. 410.); atque adeo quævis *argumentatio* dici poſſit *oratio, in qua ex quibuſdam poſitis aliud colligitur*, videtur, definitionem ſyllogiſmi modo traditam illi adeo non convenire, ut ceteris quoque argumentationis ſpeciebus, quemadmodum certe requiritur, ut ſit legitima (§. 152.), tribui minime poſſit. Rectius ergo deſcribitur ſyllogiſmus: *argumentatio tribus terminis conſtans, totidemque propoſitiones complectens, ea lege diſpoſitas atque connexas inter ſe, ut quæ poſteriori loco eſt, ex prioribus, perinde ac effectus a ſua cauſa, conſequatur*, ut:

 Omnis

(a) Lib. IV. *de Finibus* cap. 24.
(b) Lib. I. *Priorum* cap. 1.

Digitized by Google

Omnis homo compos rationis eſt.
Petrus eſt homo.
Ergo Petrus eſt compos rationis.

Dixi autem, *ſyllogiſmum tribus conſtare terminis, totidemque propoſitiones continere*. Cum enim in eo poſita ſit *ratiocinationis* natura, ut ex nota habitudine duarum idearum cum tertia inferatur habitudo earundem inter ſe, quæ antea latebat (§. 407.), manifeſtum efficitur, tres terminos, totidemque propoſitiones in perfecta *argumentatione* requiri. Verum non eſt neceſſe, ut termini plane *ſimplices* ſint. Poſſunt enim non ſolum eſſe *complexi*, verum etiam integram propoſitionem continere, ut ex hoc *ſyllogiſmo* aperte conſtat.

Omne, quod caret partibus ſeparabilibus, interire, partium ſeparatione, non poteſt.
Anima rationalis caret partibus ſeparabilibus.
Ergo interire, partium ſeparatione, non poteſt.

Neque enim terminorum complexio impedit, quominus tres tantum ſint ideæ, quæ inter ſe mutuo comparantur; neve tria tantum ſint judicia, quorum poſtremum ex prioribus deducitur.

II.

424. Propoſitiones in *ſyllogiſmo*, ex quibus alia infertur, illius *præmiſſa* dicuntur; ea vero, quæ ex illis colligitur, ejuſdem *concluſio* vocatur. Prima *præmiſſarum* dicitur *major*, & ſecunda *minor*, quia illa prædicatum *concluſionis*, quod *majus extremum*; hæc vero *concluſionis* ſubjectum, quod *minus extremum* dici ſolet, complectitur. *Subjectum* porro *concluſionis* vocant Logici *minus extremum*; at contra *extremum majus* illius *prædicatum*; quia nimirum in prædicatione *directa*, quod magis univerſale eſt, de eo, quod eſt minus univerſale, enuntiatur (§. 179.). Tertius poſtremo *ſyllogiſmi* terminus, ille ſcilicet, cui in *præmiſſis* utrumque *concluſionis* extremum comparatur, *medium*, ſive *medius terminus* dicitur, quatenus nempe extrema ſibi mutuo ille veluti conciliat, unumque cum altero componit; eſtque inſuper id, quo mediante, extremorum habitudo, antea nobis ignota, palam efficitur.

III.

425. Dividitur *ſyllogiſmus* in *ſimplicem*, & *compoſitum*. *Simplex*, qui *categoricus* vocari etiam ſolet, eſt ille, qui duos ſimplices termi-

nos, & medium unum complectitur, atque adeo ex tribus ſimplicibus propoſitionibus coaleſcit, ut:

Omnis *homo* eſt *animal*.
Petrus eſt *homo*
Ergo *Petrus* eſt *animal*.

Compoſitus vero is eſt, cujus una *præmiſſarum* eſt propoſitio compoſita, & quidem ſic in eo diſtributa, ut una illius pars aſſumatur in *minorem*, & altera in *concluſione* deducatur, ut:

Si Mundus providentia regitur ſimul atque conſilio, datur Deus;
Sed Mundus regitur providentia & conſilio.
Ergo datur Deus.

Syllogiſmus ſimplex duplex eſt, alter ſcilicet *de termino communi*, alter *expoſitorius*. *Syllogiſmus ſimplex de termino communi* eſt ille, cujus utraque, vel alterutra *præmiſſarum* eſt propoſitio univerſalis. *Expoſitorius* vero, cujus omnes propoſitiones ſunt ſingulares. Plures quoque ſunt ſpecies *ſyllogiſmi compoſiti*, de quibus ſuo loco.

IV.

426. In *ſyllogiſmo ſimplici* duo quammaxime conſideranda ſunt, ſcilicet *materia*, & *forma*. *Materia* duplex eſt, *remota*, & *proxima*. *Remota* ſunt termini, *proxima* propoſitiones. *Forma* eſt artificioſa *materiæ* diſpoſitio; eaque eſt duplex, ſicuti duplex eſt *materia*, quæ in *ſyllogiſmo* diſtinguitur. *Forma*, quæ *remotam materiam* reſpicit, dicitur *figura*; quæ vero *proximam*, *modus* nuncupatur. *Figura* eſt diſpoſitio *medii termini* cum *extremis* in *præmiſſis*. *Modus* vero eſt propoſitionum combinatio in ſyllogiſmo ſecundum earum *quantitatem*, & *qualitatem*, nempe *univerſalitatem*, & *particularitatem*, *affirmationem*, & *negationem*.

SECTIO TERTIA.

De ſimplicium ſyllogiſmorum figuris, & modis.

427. Etſi, quæ de *ſimplicium ſyllogiſmorum figuris*, & *modis* tradi vulgo ſolent, parum utilia in praxi ſint, quemadmodum experientia ipſa vel evidentiſſime oſtendit, negandum non eſt tamen, ad ingenium acuendum ea conferre plurimum. Itaque *non nego proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & a limine ſalutanda in hoc unum, ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni judicemus* (a). Fi-

(a) Seneca *Epiſt.* 50.

Figuræ ſyllogiſmi.

I.

428. Cum *medius terminus* quadrifariam diſponi poſſit cum utroque *extremo* in *præmiſſis*, quadruplex ſyllogiſmi *forma* jure diſtinguitur. *Prima* eſt, in qua *medius terminus* habet rationem *ſubjecti* in majore propoſitione, & *prædicati* in minore; unde *majus extremum* in illa prædicatur, & *minus extremum* in iſta ſubjicitur, quemadmodum apparet in hoc ſyllogiſmo:

Omnis homo *eſt animal.*
Petrus eſt homo
Ergo Petrus eſt animal.

II.

429. *Secunda figura* ea eſt, in qua *medius terminus* rationem habet *prędicati* in utraque *pręmiſſa*; unde *extrema* in iiſdem ſubjiciuntur, ut:

Nullus lapis eſt animal.
Omnis homo eſt animal.
Ergo nullus homo eſt lapis.

III.

430. *Tertia* eſt illa, in qua *medius terminus* eſt *ſubjectum* in utraque *pręmiſſa*, quo fit, ut *extrema* in ipſis prædicentur. Hujuſmodi eſt:

Omnis homo *eſt animal.*
Omnis homo *eſt vivens.*
Ergo aliquod vivens eſt animal.

IV.

431. *Quarta* poſtremo *figura* eſt illa, in qua *medius terminus* habet rationem *prędicati* in majore propoſitione, & *majus extremum* rationem *ſubjecti*. In minore vero *medius terminus* ſubjicitur, & *minus extremum* prædicatur, ut in hoc apparet:

Omne

Digitized by Google

Omnis homo eſt animal.
Omne animal *eſt ſubſtantia.*
Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.

Hæc tamen figura, quæ vulgo *Galenica* dicitur, quia ab illo vel primum inventa, vel frequentius uſurpata, in nullo pretio eſt, & jure quidem. Eſt enim mera *primę* inverſio, quatenus nempe major propoſitio in hac figura ſecundo loco ponitur, & minor primo; ex quo fit propterea, ut nonniſi violenter concludat.

Modi ſyllogiſtici.

432. *Quatuor* ſupra *ſexaginta* ſunt modi, quibus tres propoſitiones ſecundum *quantitatem*, & *qualitatem* combinari inter ſe mutuo poſſunt. Has omnes combinationes exhibet ſubjectum laterculum, in quo litera A ſignificat *univerſalem affirmativam*, E *univerſalem negativam*, I *particularem affirmativam*, O *particularem negativam* juxta illud:

Aſſerit A, *negat* E; *verum generaliter ambo.*
Aſſerit I, *negat* O; *ſed particulariter ambo.*

AAA	— EAA	— IAA	— OAA
+ — AAE	EAE	+ — IAE	— OAE
AAI	— EAI	IAI	— OAI
+ — AAO	EAO	+ — IAO	OAO
— AEA	** EEA	— IEA	** OEA
AEE	** EEE	— IEE	** OEE
— AEI	** EEI	— IEI	** OEI
* AEO	** EEO	✻ IEO	** OEO
— AIA	— EIA	** IIA	** OIA
+ — AIE	— EIE	** IIE	** OIE
AII	— EII	** III	** OII
+ — AIO	EIO	** IIO	** OIO
— AOA	** EOA	** IOA	** OOA
— AOE	** EOE	** IOE	** OOE
— AOI	** EOI	** IOI	** OOI
AOO	** EOO	** IOO	** OOO

Verum, cum non omnes hi modi utiles ſint, ut ab inutilibus utiles diſcernantur, conſiderandæ ſunt regulæ, quas ſubjicimus.

Re-

Regula I.

433. *In ſyllogiſmo non debent eſſe, niſi tres termini.* Patet ex principiis, quibus utraque argumentatio innititur (§§. 412. 414.).

Corollarium.

434. Hinc *termini eodem ſenſu in ſingulis propoſitionibus ſyllogiſmi ſumendi ſunt.* Etenim, ſi ſecus, plures quam tres erunt ideæ, licet ob terminorum æquivocationem tres tantummodo videantur.

Regula II.

435. *Medius terminus non debet eſſe in concluſione.* Quandoquidem nonniſi in præmiſſis *extrema* cum *medio termino* comparantur.

Regula III.

436. *Medius terminus ſumendus particulariter non eſt in utraque præmiſſa.* Contingere quippe tunc poteſt, ut non unam eandem ideam in utraque præmiſſa, quemadmodum neceſſario requiritur, ſed duas plane diſtinctas terminus ipſe ſignificet.

Regula IV.

437. *Nullum extremum debet ſumi univerſalius in concluſione, quam in præmiſſis.* Illa ſiquidem dumtaxat ſimul copulantur, vel a ſe mutuo removentur in concluſione, quæ comparata fuere cum *medio termino* in præmiſſis.

Regula V.

438. *Ex puris negativis nihil ſequitur.* Non enim ex negativis poteſt inferri concluſio affirmativa; cum *identitas* duarum idearum nonniſi ex *identitate* utriuſque cum tertia colligatur (§. 412.). Neque deduci poteſt ex iiſdem concluſio negativa, ratione demonſtrante, non *identitatem* duarum idearum inter ſe ex eo tantum colligi, quod earum una illi conjungatur, cui altera non convenit (§. 414.); ac proinde ex præmiſſis, quarum una ſit affirmativa.

REGULA VI.

439. *Concluſio nequit eſſe negativa, ſi utraque præmiſſarum ſit affirmativa; neque poteſt eſſe affirmativa, ſi alterutra præmiſſarum ſit negativa.* Patet ex principiis argumentationis (§§. 412. 414.).

REGULA VII.

440. *Si una præmiſſarum fuerit particularis, particularis quoque debet eſſe concluſio.* Hac enim facta hypotheſi, ponatur concluſio, ſi fieri poteſt, *univerſalis affirmativa*. Itaque etiam præmiſſæ erunt affirmativæ (§. 439.); ac proinde ſubjectum concluſionis in neutra illarum habebit rationem prædicati, ne ſcilicet particulariter in ipſis ſumatur (§. 187.); univerſaliter vero, ſecus ac fieri debet (§. 437.), ſumitur in concluſione, quemadmodum exigit facta hypotheſis. Una ergo præmiſſarum erit univerſalis, ea ſcilicet, quæ idem habet cum ipſa concluſione ſubjectum. Porro in illa *medius terminus*, cum prædicetur, ſumitur particulariter (§. 187.). Ergo nequit ſumi particulariter etiam in altera præmiſſa (§. 435.). Quocirca *prædicati* rationem in ea haudquaquam habebit (§. 187.). Erit ergo illius ſubjectum; cumque univerſaliter ſumtus in ipſa ſit, ea quoque erit univerſalis. Igitur uuiverſalis affirmans non poteſt eſſe concluſio, niſi hujuſcemodi itidem ſint ipſæ præmiſſæ. Eſto modo concluſio *univerſaliter negans*. Quoniam ergo utrumque extremum univerſaliter in ea ſumitur (§§. 226 189.), hoc eodem modo *extrema* etiam in præmiſſis ſumantur, neceſſe eſt (§. 437.). Harum autem una neceſſario debet eſſe affirmativa (§. 438.). Ergo neutrum *extremum* in illa prædicabitur, ne ſcilicet particulariter in ea ſumatur (§. 187.); atque adeo præmiſſa affirmans erit univerſalis. In hac porro *medius terminus*, ut liquido conſtat, rationem habet *prædicati*. Igitur particulariter in ipſa ſumitur (§. 187.). Nequit vero particulariter ſumi etiam in altera præmiſſa (§. 436.). Ergo in ea ſumitur univerſaliter; cumque, ut diximus, etiam alterum concluſionis extremum univerſaliter in illa ſumatur, aperte relinquitur, ipſam quoque eſſe univerſalem. Ergo etiam concluſio univerſaliter negans neceſſario poſtulat, ut univerſales ſint præmiſſæ; ſtatque propterea, fore, ut particularis ſit concluſio, ſi una præmiſſarum fuerit particularis.

Corollarium.

441. Itaque *concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem*. Negans nimirum erit, ſi alterutra præmiſſarum fuerit negativa; erit vero particularis, ſi præmiſſarum altera fuerit particularis.

Regula VIII.

442. *Ex puris particularibus nihil ſequitur*. Etenim, ſi ambæ præmiſſæ ſunt particulariter affirmantes, *medius terminus*, contra ac fieri poſſit (§. 436.), particulariter in ipſis ſumitur (§§. 226. 187.). Si vero earum altera ſit negans, atque adeo *medius terminus*, ne particulariter in utraque ſumatur, in illa prædicetur, jam patet, utrumque concluſionis *extremum* particulariter in ipſis ſumi, videlicet unum in præmiſſa negante, quia illius ſubjectum eſt; alterum in affirmante, quemcumque in ea locum teneat (§§. 226. 187.). Unum autem *extremorum* univerſaliter ſumitur in concluſione (§. 189.), illud nempe, quod in ea rationem habet *prædicati*; cum ex facta hypotheſi, futura ipſa ſit negativa (§. 439.). Ergo, ſecus ac ratio poſtulat (§. 437.), latius illud patebit in concluſione, quam in præmiſſis. Itaque ex puris particularibus nihil poteſt jure deduci.

Determinantur modi ſyllogiſtici legitime concludentes.

443. Ex his manifeſte demonſtratur, nonniſi decem eſſe ſyllogiſmorum modos, qui vere recteque concludunt. Etenim *primo*, cum nihil ex puris negativis (§. 438.), nihilque ex puris particularibus (§. 442.) jure ſequatur, expungendi ſunt, ut inutiles, 28 modi ſigno ** in ſuperiori laterculo notati. *Secundo*: cum concluſio ſemper ſequi debeat debiliorem partem (§. 441.), inutiles ſunt 18 modi ſigno — affecti. *Tertio*: vitioſi ſunt ſex modi, quibus ſignum +– præfixum habetur; cum negativa concluſio ex affirmantibus præmiſſis nequeat jure deduci (§. 439.). *Quarto*: nullus eſt modus affectus ſigno ✠. Quippe, cum *majus extremum* ſumatur univerſaliter in illius concluſione (§. 189.), utpote quod in ea prædicatur; in ejuſdem vero majore, quæ particularis affirmativa eſt, particulariter ſumatur (§§. 226. 187.), peccat hujuſcemodi modus contra *regulam quartam*. *Poſtremo*: quoniam *minus extremum* ſumi nequit univerſaliter

liter in minore negante, quin illud ipſum ſumi itidem univerſaliter poſſit in concluſione, in qua ſubjicitur, expungendus eſt modus affectus ſigno *, nempe AEO, utpote in modo AEE plane contentus. Concludentes itaque modi ſunt AAA, AAI, AII IAI, EAE, AEE, EAO, AOO, OAO, EIO, quatuor ſcilicet *affirmativi*, & ſex *negativi*, ut patet.

SECTIO QUARTA.

Traduntur principia, regulæ, atque modi ſingularum figurarum ſyllogiſmi.

444. Determinatis *modis* ſyllogiſticis legitime concludentibus, conſectarium eſt, ut *principia*, & *regulas*, quibus ſingulæ *figuræ*, quarta poſthabita, innituntur, tradamus, iique *modi* definiantur, qui ſingulis competunt.

Principia, Regulæ, et Modi Syllogismorum in Prima Figura.

Principia.

I.

445. *Quidquid affirmatur de idea univerſali, ſumta ſecundum integram ſuam extenſionem, affirmatur de quolibet contento ſub illa.*

II.

446. *Quidquid negatur de idea univerſali, ſumta itidem ſecundum integram ſuam extenſionem, negatur de quolibet, quod ſub illa continetur.*

Regulæ.

I.

447. *Minor debet eſſe affirmativa.* Si enim eſſet negativa, major eſſet affirmans (§. 438.). Quamobrem *majus extremum*, utpote quod illius prædicatum eſt (§. 428.) particulariter in ea ſumeretur (§. 187.) Sumitur autem univerſaliter in concluſione (189.) cum in illa præ-
dice-

dicetur (§.428.); eaque propter hypotheſim ſit negativa (§.439.). Ergo, ſecus ac fieri poſſit (437.), *majus extremum* ſumeretur univerſalius in concluſione, quam in præmiſſis.

II.

448. *Major debet eſſe univerſalis*. Quippe, ſi eſſet particularis, *medius terminus* particulariter ſumeretur in utraque præmiſſa; in majore quidem, quia in illa ſubiicitur (§.438.); in minore vero (§.187.) quia in ea prædicatur (§.438.), & eſt affirmativa (§.437.). Nequit autem *medius terminus* particulariter ſumi in utraque præmiſſa (§.436.). Ergo major propoſitio in ſyllogiſmis *prima figura* debet eſſe univerſalis.

Modi.

449. Ex his apparet, *quatuor* dumtaxat eſſe *modos*, quibus confici poſſunt ſyllogiſmi in *prima figura*, nimirum duo AAA, AII affirmativi, & duo EAE, EIO negativi. Ex decem ſiquidem *modis* legitime concludentibus, quos ſuperiori loco memoravimus, inutiles ſunt pro hac figura duo AEE, AOO per *regulam primam*, & duo IAI, OAO per *regulam ſecundam*. Rejiciendi quoque ſunt duo AAI, EAO; quia cum *minus extremum* in ſyllogiſmis *prima figura* ſubjiciatur tam in minori propoſitione, quam in concluſione (§.428.), ſi minor ſit propoſitio univerſalis, ſicuti eſt reipſa in modis AAI, EAO, univerſalis quoque poteſt eſſe concluſio.

PRINCIPIA, REGULÆ, ET MODI SYLLOGISMORUM IN SECUNDA FIGURA.

Principia.

450. Unicum eſt principium ſyllogiſmorum in *ſecunda figura*, videlicet: *duæ ideæ haudquaquam conveniunt inter ſe, ſi cui una illarum convenit, altera repugnet*.

Regulæ.

I.

451. *Alterutra præmiſſarum debet eſſe negativa*. Cum enim *medius terminus* in utraque præmiſſa prædicetur (§.429.), nequeunt ambæ eſſe

eſſe affirmativæ, niſi, ſecus ac poſſit fieri (§. 436.), terminus ipſe particulariter in utraque ſumatur..

I I.

452. *Major propoſitio debet eſſe univerſalis.* Si namque eſſet particularis, *majus extremum*, utpote habens in illa rationem *ſubjecti* (§. 429.), particulariter in ipſa ſumeretur. Sumitur autem univerſaliter in concluſione (§. 189.), cum ſit illius prædicatum (§. 429.), & ipſa ſit negativa (§. 439.), idcirco quia præmiſſarum altera debeat eſſe negativa (§. 451.). Ergo *majus extremum* latius pateret in concluſione, quam in præmiſſis. Hoc autem fieri nequit (§. 437.), ſi ſyllogiſmus ponatur recte concludere. Ergo major propoſitio debet eſſe univerſalis.

Modi.

453. *Quatuor* ſunt *modi* in hac figura, videlicet EAE, AEE, EIO, AOO. Etenim per *regulam primam* excluduntur modi AAA, AAI, AII, & IAI, & per *ſecundam* reiicitur modus OAO. Quia autem *majus extremum* poteſt univerſaliter ſumi etiam in concluſione, ſi hoc modo ſumatur in minore, utpote habens in utraque rationem *ſubjecti*, inutilis eſt modus EAO.

Principia, Regulæ, et Modi Syllogismorum in Tertia Figura.

Principia.

I.

454. *Si duo attributa poſſunt affirmari de una eademque re, poterit etiam illorum unum affirmari de altero particulariter ſumto.*

I I.

455. *Si fuerint duo attributa, quorum unum conveniat ſubjecto, cui alterum repugnat, poterit eorum unum negari de altero particulariter ſumto.*

Regulæ.

I.

456. *Minor propoſitio debet eſſe affirmativa.* Si enim eſſet negativa, major neceſſario deberet eſſe affirmativa (§. 438.), ac proinde *majus extremum*, quod eſt illius prædicatum (§. 430.), particulariter in ea ſumeretur (§. 187.). Sumeretur autem univerſaliter in concluſione (§. 189.); cum etiam in illa prædicati rationem habeat (§. 430.), eaque ex facta hypotheſi futura ſit negativa (§. 439.). Igitur *majus extremum*, ſecus ac fieri debeat (§. 437.), latius pateret in concluſione, quam in præmiſſis.

II.

457. *Concluſio debet eſſe particularis.* Etenim *minus extremum*, quod eſt illius ſubjectum (§. 430.), cum particulariter ſumatur in minore (§. 187.), utpote quod in illa rationem habet prædicati (§. 430.), & ipſa ſit affirmativa (§. 456.), debet quoque particulariter ſumi in concluſione (§. 437.). In hoc autem ſubiicitur (§. 430.). Ergo debet eſſe particularis.

Modi.

458. *Sex* ſunt *modi* pro tertia figura, nimirum AAI, EAO, IAI, AII, OAO, EIO. Inutiles enim ſunt per regulam primam duo AEE, AOO; duo vero AAA, EAE per regulam ſecundam.

Modorum diſtributio per ſingulas figuras.

459. Qui ſequuntur verſiculi, diſtributionem exhibent modorum in tres claſſes pro figurarum numero, memoriæ juvandæ gratia.

Barbara, *Celarent*, *Darii*, *Ferioque* præibunt.
Ceſare, *Cameſtres*, *Feſtino*, *Baroco* ſequentur.
Tertia poſt veniet rationem turba, *Darapti*,
Felapton, *Diſamis*, *Datiſi*, *Bocardo*, *Feriſon*.

Ut autem horum ſenſus percipiatur, obſervandum eſt, quamlibet ex barbaris illis vocibus, quæ in ipſis verſiculis occurrunt, *modum ſyllogiſticum* ſignificare, habita nimirum ratione vocalium A, E, I, O, quæ in illis continentur. Harum ſiquidem prima *majorem* ſyllogiſmi in-

indicat, ſecunda *minorem*, tertia *concluſionem*. Sic *Barbara* ſignificat modum AAA, *Celarent* exprimit modum EAE, atque ita de ceteris, ut, quæ ſubiiciuntur, exempla oſtendunt.

Figura I.

Bar Omne *animal* eſt *ſubſtantia*
ba Omnis *homo* eſt *animal*.
ra. Ergo omnis *homo* eſt *ſubſtantia*.

Da Omnis *homo* eſt *rationalis*.
ri Aliquod *animal* eſt *homo*.
i. Ergo aliquod *animal* eſt *rationale*.

***

Ce Nullum *animal* eſt *lapis*.
la Omnis *homo* eſt *animal*.
rent. Ergo nullus *homo* eſt *lapis*.

***

Fe Nullum *rationale* eſt *leo*.
ri Aliquod *animal* eſt *rationale*.
o Ergo aliquod *animal* non eſt *leo*

Figura II.

Ce Nullus *lapis* eſt *animal*.
ſa Omnis *homo* eſt *animal*.
re. Ergo nullus *homo* eſt *lapis*.

Fe Nulla *planta* eſt *animal*.
ſti Aliquod *vivens* eſt *animal*.
no. Ergo aliquod *vivens* non eſt *planta*.

***

Ca Omnis *homo* eſt *vivens*.
me Nullus *lapis* eſt *vivens*.
ſtres. Ergo nullus *lapis* eſt *homo*.

***

Ba Omnis *homo* eſt *rationalis*.
ro Aliquod *animal* non eſt *rationale*
co. Ergo aliquod *animal* non eſt *homo*

Figura III.

Da Omnis *homo* eſt *ſubſtantia*.
ra Omnis *homo* eſt *vivens*.
pti. Ergo aliquod *vivens* eſt *ſubſtantia*.

Da Omne *animal* eſt *ſubſtantia*.
ti Aliquod *animal* eſt *rationale*.
ſi. Ergo aliquod *rationale* eſt *ſubſtantia*.

***

Fe Nullum *animal* eſt *lapis*.
la Omne *animal* eſt *vivens*.
pton. Ergo aliquod *vivens* non eſt *lapis*.

***

Bo Aliquod *animal* non eſt *rationale*.
car Omne *animal* eſt *vivens*.
do. Ergo aliquod *vivens* non eſt *rationale*.

***

Di Aliquod *animal* eſt *rationale*.
ſa Omne *animal* eſt *ſubſtantia*.
mis. Ergo aliqua *ſubſtantia* eſt *rationalis*.

***

Fe Nulla *planta* eſt *animal*.
ri Aliqua *planta* eſt *vivens*.
ſon. Ergo aliquod *vivens* non eſt *planta*.

Digitized by Google

C O R O L L A R I U M.

460. Hinc plane ad evidentiam conſtat, *primam figuram* eſſe omnium perfectiſſimam. Etenim primo in *ſecunda figura* concluſio ſemper eſt negativa, & in *tertia* ſemper particularis; contra vero in *prima figura* propoſitiones cujuſvis generis colliguntur, nempe *univerſalis* affirmativa, *univerſalis* negativa, *particularis* affirmativa, & *particularis* negativa. Secundo *medius terminus* ſuo vere loco in ea collocatur, nimirum inter utrumque *extremum*. Poſtremo in illa ſervatur enuntiatio *directa*, videlicet *majus extremum*, quod latius patet *medio termino*, de illo enuntiatur in *majore*; ipſe vero *medius terminus*, quia majorem, quam *minus extremum*, extenſionem habet, de ipſo *minori extremo* in *minore* propoſitione prædicatur.

SECTIO QUINTA.

De reductione ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum.

461. Reductio ſyllogiſmi eſt *transformatio ſyllogiſmi imperfecti in perfectum, evidentiæ obtinendæ cauſa*. Perfectus dicitur ſyllogiſmus, qui propter idoneam *medii* cum *extremis* connexionem, clare evidenterque concludit, cujuſmodi, ut diximus, ſunt omnes in *prima figura*. Contra vero ſunt imperfecti, quorum illatio obſcura eſt, cujuſmodi jure cenſentur, qui in *ſecunda*, & *tertia figura* conficiuntur. Ad aliquem ergo *primæ figuræ* omnes, qui in aliis fiunt, reducendi ſunt. Verum cum non omnes hoc modo reduci queant, duplicem reductionem diſtinguunt Logici, quarum unam *oſtenſivam*, *per impoſſibile* alteram appellant.

Reductio oſtenſiva ſyllogiſmi.

462. Reductio ſyllogiſmi imperfecti *oſtenſiva* eſt illius revocatio ad aliquem in *prima figura*. Hæc autem ſola *tranſpoſitione*, vel *converſione* propoſitionum, quibus ille conſtat, perficitur. Obſervandum eſt itaque *primo*, barbaras illas voces, quibus ſyllogiſmorum *modi* deſignantur, ab una ex his conſonantibus B, C, D, F incipere: quo ſignificatur, *modum* imperfectum ad illum perfectum revocari debere, qui ab eadem litera initium ſumit: videlicet ſyllogiſmum in *Barocco* revocandum eſſe ad *Barbara*, ſyllogiſmum in Cameſtres ad *Celarent*

vent &c. Obſervandum ſecundo, quatuor alias conſonantes S, P, M, C in iiſdem vocibus reperiri, quarum prima S ſignificat, propoſitionem ſyllogiſmi, quam deſignat vocalis, quæ præit, convertendam eſſe *ſimpliciter*. Secunda P indicat, propoſitionem converti debere *per accidens*. Tertia M ſignificat, propoſitionem eſſe loco movendam, ita nimirum ut ex *majore* fiat *minor*, & ex *minore major*. Poſtrema C deſignat modum ſyllogiſmi, in quo reperitur, *oſtenſive* reduci non poſſe, ſed tantum *per impoſſibile*. Sit exemplum:

CA Omnis *homo* eſt *vivens*.
mE Nullus *lapis* eſt *vivens*
strEs Ergo nullus *lapis* eſt *homo*.

Quoniam igitur *modus* iſte incipit a conſonante C, ſyllogiſmus reducendus eſt ad *celarent*. Quoniam vero poſt vocalem A, quæ *majorem* deſignat, occurrit litera M, debet *major* propoſitio tranſponi, ſeu loco *minoris* aſſumi, & viciſſim *minor* debet *majoris* locum occupare. Quia demum poſt literam E, cui tum *minor* propoſitio, tum *concluſio* reſpondet, occurrit litera S, tam *minor*, quæ in *majorem*, ut diximus, mutanda eſt, quam *concluſio* converti debet *ſimpliciter*; unde fit ſyllogiſmus in *celarent*, nempe:

Nullum *vivens* eſt *lapis*.
Omnis *homo* eſt *vivens*.
Ergo nullus *homo* eſt *lapis*.

Eodem modo ratiocinare de aliis. Verum cum in *Bocardo*, & *Baroco* contineatur litera C, nonniſi *per impoſſibile* hi duo modi reduci queunt.

Reductio ſyllogiſmi ad impoſſibile.

463. Fit ergo reductio ſyllogiſmi *ad impoſſibile*, cum contradictorium negatæ *concluſionis* aſſumitur loco *præmiſſæ*, atque cum illarum altera ita conjungitur, ut contradictorium alterius, quæ jam fuerat conceſſa, legitime inferatur. Dicitur propterea *reductio* ad *impoſſibile*; quia nimirum adverſarius cogitur, duo ſimul contradictoria tunc, ut vera, admittere. Porro licet omnes ſyllogiſmorum modi reduci hac ratione poſſint; cum univerſaliter verum ſit, *ex contradictorio conſequentis ſequi contradictorium antecedentis, ſi illatio fuerit optima*; hæc tamen reductio proprie ſpectat ad *Baroco*, & *Bocardo*, utpote qui, ut diximus, nequeunt *oſtenſive* reduci. In his ergo quænam ex *præmiſſis* ſervari debeat, & quomodo cum contradictorio *conſequentis* componi, hoc diſticho palam efficitur:

Majorem ſervat, mutatque Baroco *minorem.*
Majorem mutat, retinetque Bocardo *minorem.*

Unde hujuſmodi ſyllogiſmus in *Baroco*:

Omnis homo eſt rationalis.
Aliquod animal non eſt rationale.
Ergo aliquod animal non eſt homo.

oſtenditur *per impoſſibile*, optime concludere; cum, *majore* retenta, contradictorium *conſequentis* loco *minoris* aſſumitur, fitque ſyllogiſmus in *Barbara* hoc modo:

Omnis homo eſt rationalis.
Omne animal eſt homo.
Ergo omne animal eſt rationale.

cujus quidem *concluſio*, ut patet, contradictorie opponitur *minori* jam conceſſæ. Syllogiſmus quoque in *Bocardo*, videlicet:

Aliquod animal non eſt rationale.
Omne animal eſt vivens.
Ergo aliquod vivens non eſt rationale.

reducitur ad *Barbara*, contradictorio *conſequentis* in *majorem* aſſumto, ut hic apparet:

Omne vivens eſt rationale.
Omne animal eſt vivens.
Ergo omne animal eſt rationale.

ubi profecto res eſt perſpicua, *concluſionem* contradictorie adverſari *majori* jam conceſſæ; atque hinc dandum eſſe, vel ſyllogiſmum illum recte concludere, vel duo contradictoria eſſe ſimul vera. Sed hac de re pluſquam ſatis.

SECTIO SEXTA.

Traditur univerſale principium dignoſcendi, legitimuſne ſit ſyllogiſmus, an vitioſus, quin ulla prorſus vulgarium regularum ratio habeatur.

464. Inficias ibit nemo, ſyllogiſmorum regulas hactenus traditas eo levioris in praxi eſſe momenti, quo ſubtiliores ſunt; ac ferme nunquam contingere, ut in argumentando ad eas vel leviter animum attendamus. Factu idcirco optimum cenſui, univerſale principium, quo, nulla prorſus vulgarium regularum habita ratione, dignoſci facile poteſt, an ſyllogiſmus legitimus ſit, recteque concludat,

dat, ex Viro doctiſſimo hic breviter indicare, paucisque exponere.

I.

465. Hoc itaque principium in eo unice poſitum eſt, ut *una præmiſſarum ſyllogiſmi concluſionem contineat; altera vero palam efficiat, concluſionem in illa contineri.* Ratio hujus regulæ videtur evidens. Cum enim concluſio ex præmiſſis colligatur, veluti effectus a ſua cauſa (§. 409.), neceſſe profecto eſt, ut una præmiſſarum concluſionem ipſam contineat. Quoniam vero ejuſmodi continentia nequit eſſe ex ipſis terminis manifeſta (alioquin concluſio non eſſet diverſa a præmiſſis), debet altera præmiſſarum continentiam ipſam manifeſtare, ac veluti ante oculos ponere. Hinc illarum una *propoſitio continens*; altera *exponens*, ſive *applicativa*, ſatis apte vocatur.

II.

466. In ſyllogiſmis affirmativis propoſitio univerſalior haberi debet pro *continente*; ea vero pro *exponente*, quæ minore extenſione donatur. At in negativis, cum concluſio ſit propoſitio negans, neque poſſit negatio in affirmatione comprehendi, propoſitio *continens* eſt præmiſſa negativa, quemcumque in illis locum teneat; *exponens* vero præmiſſa affirmativa. Dubito itaque, an iſte ſyllogiſmus recte concludat:

Evangelium ſalutem ſpondet Chriſtianis.
Quidam impii ſunt Chriſtiani.
Ergo Evangelium ſalutem ſpondet quibuſdam impiis.

Conſideratis ergo præmiſſis, evidens eſt, *concluſionem* in *majore* propoſitione minime contineri, quamvis ex *minore* in illa comprehendi videatur. Etenim Evangelium non omnibus Chriſtianis ſalutem promittit, ſed iis tantum, qui Chriſti Domini mandata obſervant, quod non faciunt impii. Igitur ſyllogiſmus eſt illegitimus. Eadem ratione nullus eſt, qui ſequitur:

Omnis homo eſt animal.
Equus non eſt homo.
Ergo equus non eſt animal.

Concluſio namque in præmiſſa negante non comprehenditur. At e contrario iſti ſunt optimi:

Miſeri ſunt, qui cupiditatibus ſerviunt.
Avari cupiditatibus ſerviunt.
Ergo ſunt miſeri,

Nulla ſubſtantia carens partibus, poteſt deſtrui ab agente creato.
Anima rationalis eſt ſubſtantia carens partibus.
Ergo a nullo agente creato deſtrui poteſt.

Utriuſque enim *concluſio* in *majore* continetur, quemadmodum *minor* ipſa propoſitio palam efficit.

Corollarium.

467. Ex his manifeſte ſequitur, non aliud requiri, cum aliqua nobis demonſtranda eſt propoſitio, niſi ut aliam magis notam, in qua illa contineatur, inveſtigemus; ſimulque alteram inveniamus, quæ, unam in altera comprehendi, veluti ob oculos ponat, ac prorſus oſtendat (a).

SECTIO SEPTIMA.

De ſyllogiſmo compoſito.

468. Quid ſit ſyllogiſmus *compoſitus*, ſuperiori loco jam vidimus (§. 425.). Reſtat modo, ut, quotuplex ille ſit, explicemus. Dividitur ergo ſyllogiſmus *compoſitus* in *conditionalem*, *copulativum*, & *disjunctivum*.

De ſyllogiſmo conditionali.

469. Syllogiſmus *conditionalis* eſt ille, cujus *major* eſt propoſitio *conditionalis*, ea ratione in illo diſtributa, ut una ipſius pars *minorem* conſtituat, altera vero in *concluſione abſolute* deducatur. Hujuſmodi eſt:

Si Deus eſt juſtus, punientur iniqui.
Sed Deus eſt juſtus.
Ego punientur iniqui.

Poſito ergo, veram eſſe propoſitionem conditionalem, quæ *majoris* locum tenet, dupliciter hoc ſyllogiſmo arguitur, *affirmative* nimirum, & *negative*. Arguitur *affirmative*, cum, affirmato *antecedente* conditionalis propoſitionis in *minore*, affirmatur illius *conſequens* in *concluſione*, juxta illud: *poſito antecedente, ponitur conſequens* (§. 419.), ut:

Si anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis, eſt immortalis.
Sed anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis.
Ergo eſt immortalis.

Ar-

(a) Videatur *Ars cogitandi* P. III. cap. 10.

Digitized by Google

Arguitur vero *negative*, cum negato *conſequente* propoſitionis conditionalis in *minore*, rejicitur illius *antecedens* in *concluſione*, juxta illud principium: *falſum nonniſi ex falſo legitime ſequitur* (§. 420.) ut:

Si quiſpiam electorum perit, fallitur Deus.
Sed Deus non fallitur.
Ergo nullus electorum perit.

Hinc dupliciter peccare poteſt ſyllogiſmus *conditionalis*. Primo, cum a poſitione *conſequentis* infertur *antecedens*; ut ſi quis argueret:

Si omnes homines docti ſunt, Petrus eſt doctus.
Sed Petrus eſt doctus.
Ergo omnes homines ſunt docti.

Veritas enim *antecedentis* non dependet a veritate *conſequentis*; cum non *antecedens* in *conſequente*, ſed *conſequens* in *antecedente* contineatur. Fallit ſecundo, cum rejecto *antecedente* conditionalis propoſitionis in *minore*, negatur *conſequens* in *concluſione*, quemadmodum in hoc apparet.

Si hoc vivens eſt homo, hoc vivens eſt animal.
Sed hoc vivens non eſt homo.
Ergo hoc vivens non eſt animal.

Fallit, inquam; quia, licet *conſequens* in propoſitione conditionali ita ab *antecedente* dependeat, ut, hoc poſito, illud quoque ponatur, neceſſe ſit, non propterea ſemper ſequitur, *conſequens* fallere, ſi fallat *antecedens*; ſed ſolum, quando *antecedens* eſt ita cauſa præciſa *conſequentis*, ut hujus veritas ab illius veritate unice derivetur. Sic in allato exemplo, cum ratio *hominis* non ſit cauſa præciſa, cur attributum *animalis* poſſit viventi competere, poteſt aliquod *vivens* eſſe *animal*, quin ſit *homo*; ac proinde ex eo, quod hoc *vivens* non ſit *homo*, nonniſi perperam infertur, hoc *vivens* non eſſe *animal*. Contra vero hic tenet ratione materiæ:

Si hoc vivens eſt homo, hoc vivens eſt animal rationale.
Sed hoc vivens non eſt homo.
Ergo non eſt animal rationale.

quia ſcilicet repugnat, ut aliquod *vivens* ſit *animal rationale*, quin ſit *homo*.

De ſyllogiſmo copulativo.

470. Syllogiſmus *copulativus* eſt ille, cujus *major* eſt propoſitio *copulativa*, tali lege in illo diſtributa, ut una ipſius propoſitionis pars affirmetur in *minore*, & altera in *concluſione* rejiciatur, ut:

Non

Non poteſt homo ſervire ſimul Deo, & mammonæ.
Sed avarus ſervit mammonæ.
Ergo non ſervit Deo.

Tota idcirco vis hujus ſyllogiſmi dependet ex tali oppoſitione partium, quibus conſtat *copulativa* propoſitio, ut una affirmari haud poſſit, quin negetur altera. Arguere tamen non licet ex negatione unius partis ad poſitionem alterius, niſi partes ipſæ ſibi mutuo ea ratione adverſentur, ut medium haudquaquam admittant. Hinc non valet:

Non poteſt homo ſimul eſſe albus, & niger.
Sed non eſt albus
Ergo eſt niger.

quia, ſublato uno *contrariorum* non ponitur alterum. At vero valet:

Non poteſt corpus ſimul moveri, & quieſcere.
Sed non movetur.
Ergo quieſcit.

cum inter *motum*, & *quietem* non detur medius ſtatus, in quo corpus eſſe poſſit.

De ſyllogiſmo disjunctivo.

471. Syllogiſmus *disjunctivus* eſt ille, qui ita ex *disjunctiva* propoſitione componitur, ut tota *majoris* locum teneat, tum una illius pars affirmetur in *minore*, & altera negetur in *concluſione*; aut viciſſim una pars rejiciatur in *minore*, & altera poſitive inferatur in concluſione, ut cum arguitur.

Vel terra movetur circa Solem, vel Sol circa terram.
Sed Sol movetur circa terram.
Ergo terra non movetur circa Solem.

Vel contra:

Sed terra non movetur circa Solem.
Ergo Sol movetur circa terram.

Hinc ſyllogiſmus *disjunctivus* neceſſario poſtulat, ut optima ſit *disjunctiva* propoſitio, quæ in *majorem* aſſumitur, nimirum ut membra *disjunctivæ* propoſitionis nullum plane medium admittant. Etenim ſi ſecus, perſpecta res eſt, nihil prorſus legitima illatione poſſe deduci.

SE-

SECTIO OCTAVA.

De reliquis argumentationis ſpeciebus.

472. QUamvis *ſyllogiſmus* ſit argumentatio omnium perfectiſſima, non propterea ceteræ argumentationes negligendæ ſunt. Inſignis ſiquidem eſt illarum uſus, neque exigua earundem utilitas. Eas igitur hic paucis exponemus.

Enthymema.

473. *Enthymema*, qui etiam *ſyllogiſmus imperfectus*, ſive *truncatus* dicitur, eſt argumentatio duabus conſtans propoſitionibus, quarum una ex alia infertur; unde illa *antecedens*, hæc vero *conſequens* vocatur; ut:

Omne quod ex contrariis componitur, corruptibile eſt.
Ergo hominis corpus eſt corruptibile.

Frequentiſſime idcirco *enthymema* adhibetur, compendii gratia. Verum non concludit, niſi pro vera habeatur propoſitio, quæ reticetur. Sic ex eo, quod *omne conſtans ex contrariis, ſit corruptibile*, manifeſte non ſequitur, *humanum corpus eſſe corruptibile*, niſi hæc alia intelligatur propoſitio, eaque, ut vera admittatur, *humanum* ſcilicet *corpus ex contrariis conſurgere*. Atque hinc patet, *enthymema* eſſe in mente perfectum *ſyllogiſmum*.

Epichirema.

474. *Epichirema* definiri vulgo ſolet: *ſyllogiſmus, cujus alterutri, vel utrique præmiſſarum ſua probatio adjungitur*, ut:

Omnis ſubſtantia ſpiritualis, cum partibus careat, in quas poſſit diſſolvi, eſt immortalis.
Anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis; cum velit, atque intelligat.
Ergo anima rationalis eſt immortalis.

Verum ex Ariſtotele, cui conſentit Quintilianus (a), *epichirema* eſt ſyllogiſmus conſtans ex probabilibus. Eſt enim *philoſophema*, inquit Ariſtoteles, *ſyllogiſmus demonſtrativus. Epichirema vero ſyllogiſmus dialecticus* (b).

Di-

(a) Lib. IV. *Inſtit. Oratoriar.* cap. 6. (a) Lib. VIII. *Topicorum* cap. 11.

Dilemma.

475. *Dilemma*, quod plerique *cornutum argumentum* vocant, eſt argumentatio, in qua ex ſingulis partibus disjunctivæ propoſitionis *antecedentis* loco aſſumtæ, incommodum infertur, ut:

Vel ille ſtudit, vel non ſtudit.
Si ſtudit: hebes eſt, quia nihil profecit.
Si non ſtudit: ignavus eſt, quia virtus nonniſi ſtudio acquiritur.

Multipliciter tamen peccare poteſt *dilemma*: nimirum primo, ſi *disjunctiva* propoſitio ſit imperfecta & manca; quo vitio illud laborat, quo ad mortis timorem amoliendum priſci Philoſophi utebantur, videlicet:

Anima noſtra vel perit cum corpore in morte, vel non perit.
Si perit: jam nullis malis obnoxia eſt.
Si non perit: jam beatior evadet, utpote corporis vinculis tunc plane ſoluta.

Evidens enim eſt, aliud poſt mortem dari vitæ genus calamitatibus plenum. Secundo: vitioſum evadit *dilemma*, ſi haud neceſſario concluſiones ex partibus deducantur. Hac ratione *dilemma* illud peccat, quo oſtendere olim nonnemo nitebatur, periculoſum eſſe atque moleſtum, ſeſe in rebus ad Rempublicam ſpectantibus immiſcere, cum ait:

Si quis in Republica recte ſe gerit, homines offendit; quod eſt moleſtum.
Si vero male agit, offendit Deum; quod itidem moleſtum eſt.
Ergo moleſtum eſt, Rempublicam curare.

Quandoquidem non eſt neceſſario verum, neminem poſſe in adminiſtranda Republica recte ſe gerere, quin homines offendat. Accedit quoque, moleſtum nequaquam eſſe, in homines culpam committere, ſi, quin in Deum peccemus, id vitari non poſſit. Peccat poſtremo *dilemma*, ſi queat ſuum in auctorem retorqueri; cujuſmodi eſt illud, quo nuptiæ a pleriſque ſuaderi ſolent, dum ajunt:

Quia aut proles ſuſcipitur, aut non ſuſcipitur.
Si ſuſcipitur: quantum gaudium!
Si non ſuſcipitur: qualis labor?

Sic enim poteſt retorqueri:

Quia aut proles ſuſcipitur, aut non ſuſcipitur.
Si ſuſcipitur: quantus labor!
Si non ſuſcipitur: qualis fructus?

Ita-

Itaque nonniſi caute hoc argumenti genus adhibendum eſt, ne ſcilicet adverſus nos ea, quibus alios offendere putabamus, arma vertantur.

Sorites.

467. *Sorites* eſt argumentatio ex pluribus, quam duabus præmiſſis conſtans, ea lege atque ratione ſimul connexis, ut *attributum* proxime præcedentis ſit *ſubjectum* conſequentis, atque ita deinceps, donec *ſubjectum* primæ cum ultimæ *prædicato* in concluſione conjungatur. Tale eſt præclarum illud Senecæ:

Qui prudens eſt, & temperatus eſt.
Qui temperatus eſt, & conſtans.
Qui conſtans eſt, & imperturbatus eſt.
Qui imperturbatus eſt, ſine triſtitia eſt.
Qui ſine triſtitia eſt, beatus eſt.
Ergo prudens beatus eſt, & prudentia ad beatam vitam ſatis eſt (a).

Inductio.

477. *Inductio* eſt argumentatio, qua ex *particularibus* recte enumeratis *univerſalis propoſitio* infertur; ut, cum ex eo, quod Petrus ſentiat, Paulus ſentiat, atque ita de ceteris, hominem vi ſentiendi donatum eſſe, colligimus, & demonſtramus. Hinc patet, quam facile ſit, nos hoc argumenti genere errare ac decipi. Nulla quippe eſt *inductio*, ſi vel in *particularibus* enumerandis una prætermittatur, vel quod de *particularibus* dicitur, illis haud neceſſario conveniat. Etenim verum neceſſario id de toto eſſe non poteſt, inquit Vir Cl., *quod ex partium enumeratione concluditur, ſi de omnibus partibus neceſſario verum non ſit* (b).

Exemplum.

478. *Exemplum* eſt argumentatio, qua ex uno *ſingulari* aliud *ſingulare* propter ſimilitudinem colligitur. Definitur propterea a Quintiliano: *rei geſtæ, aut ut geſtæ, utilis ad perſuadendum id, quod intenderis, commemoratio* (c). Hujuſcemodi idcirco argumentatio nonniſi probabiliter concludit, atque adeo ad Oratores potius, quam ad Logicos pertinet. Porro ad *exemplum* referuntur *parabola*, & *apologus*. *Pa-*

(a) Epiſt. 85.
(b) Joannes Clericus P. IV. *Logicæ* cap. 7. n. 11.
(c) Lib. V. *Inſtit. Orator.* cap. 11.

Digitized by Google

Parabola dicitur, ſi factum, quod aſſumitur, revera non contigerit, ſed poſſibile tantum ſit, & veriſimile. Vocatur vero *apologus*, ſi factum ſit impoſſibile, ac prorſus repugnans, ut, cum res inanimæ, quemadmodum in elegantiſſimis Phœdri fabulis apparet, veluti inter ſe mutuo colloquentes inducuntur. *Parabolarum* uſus in Sacris Literis frequentiſſimus eſt; utque advertit Seneca, *illi qui ſimpliciter, ac demonſtrandæ rei cauſa eloquebantur, parabolis referti ſunt, quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa, qua Poetis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & ut diſcentem & audientem in rem præſentem adducant* (a).

SECTIO NONA.

De argumentatione demonſtrativa, & probabili.

479. HActenus, & quidem ſatis, de argumentatione conſiderata penes *formam*; modo nonnulla de eadem, penes *proximam* illius *materiam* ſpectata, nobis dicenda occurrunt. Hujus itaque ratione dividitur argumentatio in *apodicticam*, ſive *demonſtrativam*, & in *dialecticam*, ſeu *probabilem*.

I.

480. Argumentatio *apodictica*, ſive *demonſtrativa* ea eſt, quæ conſtat ex præmiſſis penitus evidentibus. Hinc per *demonſtrationem* res manifeſte nobis vera apparet. Illud quippe verum evidenter cognoſcitur, quod ex claris perſpicuiſque principiis eruitur, ut proinde rem demonſtrare perinde ſit omnino, ac rem ipſam veluti digito oſtendere. Præmiſſæ idcirco *demonſtrativæ argumentationis* debent eſſe vel axiomata, vel definitiones, vel propoſitiones ex *per ſe notis* principiis jam evidenter deductæ, vel experimenta adeo clara, ut nulla prorſus de illorum veritate ingeri nobis jure poſſit dubitatio. Obſervandum porro, ad perfectam rei oſtenſionem quandoque unum dumtaxat ſyllogiſmum ſatis eſſe, quandoque plures requiri, ea lege ſimul connexos, ut prioris *concluſio*, in eo, qui proxime ſequitur, *præmiſſæ* locum teneat. Non enim veritas cujuſvis propoſitionis ex *per ſe notis* principiis immediate derivari ſemper poteſt, unoque ſyllogiſmo oſtendi.

481.

(a) Epiſt. 60.

II.

481. *Demonſtratio* duplex eſt, altera ſcilicet *propter quid*, ſive *a priori*; altera *quia*, ſeu a *poſteriori*. *Demonſtratio* dicitur *propter quid*, ſive *a priori*, qua *poſterius* per *prius*, *effectus* ſcilicet per *cauſam*, & rei *proprietas* per *eſſentiam* oſtenditur; ut cum ex eo probatur Lunæ eclypſis, quod telluris globus inter Solem, ipſamque Lunam directe jaceat; atque hinc Lunæ deliquium in vera luminis privatione conſiſtere; ſicuti etiam cum palam fit, animam rationalem immortalitate idcirco donari, quod ſit ſubſtantia ſpiritualis. Immortalitas enim eſt veluti proprietas ſubſtantiæ ſpiritualis. Lunæ vero obtenebratio eſt effectus, ex directa telluris Solem inter atque Lunam poſitione, ſituque immediate proveniens.

III.

482. Viciſſim vero *demonſtratio quia*, ſeu *a poſteriori* vocatur illa, qua *prius* per *poſterius*, nimirum *cauſa* per *effectum*, vel rei *natura* per *proprietatem* palam efficitur. Hujuſcemodi eſt, qua animam rationalem ex eo, quod cogitet, ſpiritualem eſſe ſubſtantiam evincimus; quemadmodum etiam illa, qua ex reſpiratione, quæ vitæ effectus eſt, animal vivere demonſtramus.

IV.

483. Ad hanc poſtremam *demonſtrationis* ſpeciem revocari ea ſolet, quæ *apogogita*, ſive *per abſurdum*, & *impoſſibile* vulgo in Scholis dicitur. Hæc autem fit, cum vera, vel falſa ex eo evincitur propoſitio, quod contrarium admitti nequeat, quin aliquod abſurdum, vel impoſſibile inde ſequatur. Hujuſcemodi igitur eſt demonſtratio, qua ſuam certitudinem, & evidentiam ſenſibus omnibus eſſe tribuendam, ſuperiori loco oſtendimus. Diximus enim, contrarium fieri neutiquam poſſe, quin verum ſit, ſentiendi vim nobis a Deo eſſe collatam, ut perpetuo per eam deciperemur.

V.

484. Hinc apparet, iſtiuſmodi probandi genus nonniſi improprie & large *demonſtrationis* nomen mereri. Aſſenſum quippe a nobis qui-

dem

dem extorquet, at mentem nequaquam illuminat. Certi quidem ſumus, rem aliter eſſe non poſſe; cur tamen ita ſit, penitus ignoramus. Caute itaque hoc *demonſtrationis* genus adhibendum eſt, videlicet tunc ſolum, cum alia demonſtrandi via nobis haudquaquam occurrit.

V I.

485. Cognitio, quæ *demonſtrationis* ope acquiritur, *ſcientia* vocatur. Definitur autem *ſcientia* : *cognitio certa & evidens rei neceſſariæ ex demonſtratione proveniens*. Dicitur *cognitio certa*, hoc eſt firma, & ſtabilis, penituſque inconcuſſa (*); & per hoc *ſcientia* differt ab *opinione*, quæ non eſt niſi probabilis rei cognitio, ſive humanæ mentis imbecilla, ut dicemus, aſſenſio. Dicitur *cognitio evidens*, clara ſcilicet, & plane perſpicua; atque hinc diſcernitur a *fide*, quæ tota in obſcuris verſatur. Dicitur *rei neceſſariæ*, ut inde pateat, nullam de iis rebus dari poſſe *ſcientiam*, proprie loquendo, quæ aliter eſſe poſſunt, ac cognoſcuntur. Dicitur poſtremo *ex demonſtratione proveniens*, ut diſcernatur ab *intelligentia*, nempe a cognitione primorum principiorum. Horum enim notio a demonſtratione non dependet; cum ex ſuis terminis ſint evidentiſſima.

V I I.

486. Sicuti *demonſtratio* alia eſt *a priori*, & alia *a poſteriori*, ita duplex *ſcientia* diſtinguitur, *perfectiſſima* ſcilicet, & *minus perfecta*. Illa per *demonſtrationem a priori* acquiritur; hæc vero per *demonſtrationem a poſteriori*. Per illam ita res cognoſcitur, ut, cur ita ſit, nobis manifeſte reluceat. Per hanc vero attingimus tantum, rem ita eſſe, ut dicitur. Hinc *ille ſcit proprie & ſimpliciter*, inquit Ariſtoteles, *non ex parte aliqua, ut Sophiſtæ ſolent, qui cauſam cognoſcit, cur res ſit, & illius cauſam eſſe, & aliter ſe habere non poſſe, firmiter tenet* (a).

V I I I.

487. Argumentatio *dialectica*, ſive *probabilis*, dicitur illa, cujus utra-

(*) Scientia non ſolum comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, ut neque in ea quis unquam errare, nec quibus libet adverſantibus impulſus nutare debeat. Unde veriſimile a quibuſdam Philoſophis dicitur, in nullo eam poſſe, niſi in ſapiente, inveniri, qui non modo perceptum habere debet id, quod tuetur ac ſequitur, verum etiam inconcuſſum tenere. *S. Auguſtinus* lib. I. *contra Academicos* nu. 19. *alias* cap. 7.

(a) Lib. I. *Poſter.* text. 7.

utraque, vel alterutra *præmiſſarum* non eſt, niſi *probabiliter* vera. Hæc proinde argumentatio non *ſcientiam*, ſed *opinionem* parit, cognitionem ſcilicet non adeo claram, atque perſpicuam, ut dubitare nequeat mens, ne verum ſit, quod illius ope ab ea cognoſcitur. Eſt enim *opinio*, Stoicorum ſententia apud Tullium, *imbecilla aſſenſio* (a), nempe aſſenſio cum metu adverſæ partis conjuncta. Cum enim nullus effectus ſuam queat cauſam perfectione ſuperare, ſi *præmiſſæ* ſyllogiſmi ſint tantum *probabiles*, nonniſi *probabilis* ea eſſe poteſt, quæ ex illis derivatur, *concluſio*. Si vero una *præmiſſarum* ad evidentiam, altera vero nonniſi *probabiliter* conſentanea veritati appareat, quantacunque profecto ſit illius perſpicuitas, adhuc nonniſi *probabile* nobis erit, quod inde colligitur. Non eſt enim, niſi probabile, quod vel in *probabili* tantum propoſitione continetur, licet continentia ipſa evidenter nobis reluceat; vel nonniſi *probabiliter* in certa evidentique propoſitione comprehenditur.

SECTIO DECIMA.

Recenſentur fontes præcipui vitiorum, quibus ratione materiæ ratiocinia noſtra labefactantur.

488. PErperam nos plerumque ratiocinari, quamvis optimæ ratiocinationis *forma* religioſe a nobis ſervari videatur, & ſervetur reipſa, ignorat nemo. Nota ſiquidem cuique ſunt ea falſa ratiocinia, quæ vulgo *ſophiſmata*, ſive *paralogiſmi* dicuntur. Poſtulat ergo ſuſcepti muneris ratio, ut quomodo ratione *materiæ* peccare argumentatio poſſit, breviter videamus. Nam, ut ſapienter advertit Quintilianus, *remedia melius adhibebit, cui nota, quæ nocent, fuerint* (b). Primo ergo de iis, quæ ab intellectu, tum de iis, quæ a voluntate proveniunt *ſophiſmata*, agemus. Explicari enim vix poteſt, quantum inquirendæ inveſtigandæque veritati perſæpe noceat etiam ipſa voluntas.

Sophiſmata intellectus.

I.

489. Primum intellectus ſophiſma *petitio principii* vulgo in Scholis dicitur. Fit autem, cum *principii* loco id in argumentatione aſſumi-

(a) Lib. VI. *qq. Tuſcul.* cap. 7. (b) Lib. XII. *Inſtit. Orator.* cap. 1.

Digitized by Google

umitur, de quo controverſia eſt, quamvis, quia aliis vocabulis expreſſum, ab illo diverſum reipſa videatur. Hoc vitio ea laborat argumentatio, qua exiſtentiam *formarum materialium*, quæ ſint *ſemiſubſtantia*, evincere in corporibus nituntur Scholaſtici. Ajunt enim, hujuſcemodi *formas* neceſſario in corporibus ex eo eſſe admittendas, quod eorum quodlibet ſit *unum per ſe*, atque adeo ex *per ſe actu*, & ex *per ſe potentia* intrinſecus componatur. Illud autem hac in argumentatione principii loco aſſumi, de quo eadem ipſa controverſia eſt, ex eo vel evidentiſſime patet, quod idem ſit omnino, compoſita naturalia eſse *unum per ſe*, eaque conſtare ex *per ſe actu*, & ex *per ſe potentia*, ac ea componi intrinſecus ex *ſubjecto*, & ex *forma*, quæ *entitative* ſit *ſemiſubſtantia*. Neque enim nomine *actus per ſe* aliud ipſi intelligunt, ut perſpicuum fiet, ſi grave non fuerit, hac ſuper re eos interrogare.

II.

490. Ad hoc genus ſophiſmatis ex quoque omnes argumentationes revocandæ ſunt, quibus ignotum per æque ignotum oſtenditur; quemadmodum etiam illæ, quæ in orbem recurrunt, ſeu ab eodem ad idem, circuli inſtar, per eandem ratiocinationis formam procedunt; ut ſi quis oſtenderet, Deum exiſtere, quia exſtat cauſa res omnes ſua providentia gubernans; dein probaret, extare cauſam rebus omnibus conſulentem, quia exiſtit Deus. Poſtremus porro hic argumentandi modus *vitioſus circulus*, atque *piſtilli verſatio* in Scholis dicitur. Eo enim redit argumentatio, unde digreſſa primo fuerat; multumque in ea, perinde ac manus in piſtilli verſatione, defatigatur mens, quin aliquid vel minimum efficiat. Fieri quippe non poteſt, ut idem, ſi cum eodem conferatur, rationem ſimul habeat cauſæ, atque effectus.

S C H O L I O N.

491. Caveamus tamen hoc loco oportet, ne *vitioſus circulus* cum ea argumentatione confundatur, quæ *regreſſus* ſolet a Philoſophis nuncupari. Ingens enim illius a *circulo vitioſo* diſcrimen eſt, nec raro a viris etiam peritiſſimis *regreſſus* ipſe in demonſtrando utiliter adhibetur. Is ergo fit, cum a noto effectu ad cauſam, quæ latet, gradum facimus, eamque ex illo colligimus; tum ab ea ſic cognita regredimur ad effectum, oſtendendo ſcilicet ex ipſa cauſa, quæ ſit effectus natura, & qua ratione ille contingat. Hoc modo rem agunt Aſtro-

Aſtronomi, cum ex eo quod Luna, ut vel ipſis oculis patet, per gradus a Sole illuſtretur, ſphæricum ipſam habere corpus, oſtendunt; tum ex ipſa lunaris corporis ſic detecta rotunditate, non ſolum phaſes ejuſdem Lunæ, verum etiam quomodo tempore menſtruo illuminatio ipſa perficiatur, clare explicant, nitldeque demonſtrant. Nihil porro culpæ in hujuſcemodi argumentandi ratione reperiri, ex eo vel maxime patet, quod vere in orbem ipſa nequaquam recurrat. Non enim ex cauſa id de effectu oſtendimus, quod *principii* loco aſſumtum a nobis initio fuerat, ut hinc ipſa cauſa evinceretur; ſed aliud omnino eſt, quod de cauſa ex effectu colligimus; aliud, quod de ipſo effectu per cauſam demonſtramus. Recte propterea Vir Cl. Jacobus Facciolatus docet, non eſſe *vitioſum circulum* in demonſtrando, ſi vel leviter vacillet reciprocatio. Nam *quemadmodum*, inquit, *circulus Goemetricus perfectiſſimam rotunditatem requirit, ita circulus Logicus abſolutam perfectamque reciprocationem. Minima quaque variatio utriuſque circuli naturam corrumpit* (a).

III.

492. *Aliud probare, quam quod eſt in quæſtione.* Hoc ſophiſma dicitur in Scholis *ignoratio elenchi*, ſcilicet ignoratio rei, quæ probanda a nobis eſt, vel improbanda. Etſi autem id interdum accidat ſine culpa, non raro tamen ex fraude, ſæpiſſime vero ex animi perturbatione contingit. Illud enim contra adverſarium probare plerumque callide nitimur, quod ille non negat, ut quod revera negatum nobis ab eo eſt, evincere videamur; aut viciſſim animum ad id in adverſario improbandum intendimus, quod vere ipſe non docet, & fortaſſe ne ſomniavit quidem, ut hinc appareat, nos oppugnare, penituſque convellere, quod, ut infringeretur, vocatum a nobis in dubium fuerat. Sic Ariſtoteles, ut Platonicam *idearum* doctrinam oppugnaret, poſuit ideas ipſas, tamquam ex Platonis mente, a ſubſtantiis omnibus ſeparatas, atque, hac facta hypotheſi, plura obiecit: cum tamen ideas, quas ſapienter aſſeruit Divinus ille Philoſophus, nonniſi in Divina mente, ut ex Seneca alio loco notavimus, revera ipſe poſuerit. Ceterum hoc ſophiſma in publicis præſertim diſputationibus, ut præclare obſervat Vir Cl., quamſæpiſſime occurrit. *Adeo enim*, inquit ille, *inter diſputandum incaleſcimus, ut ſæpenumero alter alterum non intelligamus. Ex animi perturbatione, ex mala fraude adverſariis ea adfingimus, quæ ſunt ab eo-*

(a) P. III. *Inſtit. Logic.* in *notis* ad cap. 24.

eorum ſenſu alieniſſima, quo poſſimus illos facilius plauſibiliuſque contere-re, vel iiſdem conſequutiones adſcribimus, quas ab eorum placitis inepte remur deducibiles, quamvis has illi rejiciant & pernegent (a).

I V.

493. *Cauſam aſſignare, quæ non eſt cauſa*: ut cum certi planetarum aſpectus dicuntur cauſa ſterilitatis & peſtilentiæ: cum malæ hominum inclinationes, atque vitia ex certo quarundam ſtellarum influxu, veluti ex fato, derivantur: cum in naturæ phœnomenis explicandis ad *ſympathiam*, *antipathiam*, aliaſque id genus *occultas qualitates* confugimus: cum denique Deum immediatam eorum effectuum cauſam dicimus, quorum naturalis nos latet; ipſumque, Anaxagoram imitati, veluti ex machina attrahimus, ſi quid in Mundo contingat, cujus naturalem cauſam afferre nequeamus. Hoc itaque vitium oritur primo ex ſuperbia. Malumus enim, eorum effectuum, quorum vera nos latet origo, alienas ac plane imaginarias potius cauſas comminiſci, quam inſcitiam noſtram ingenue candideque fateri; arbitrantes inſuper, noſtro nos muneri feciſſe ſatis, ſi vocabulis, quæ ne ipſi quidem intelligimus, ad hæc explicanda utamur. Superbia factum eſt, inquit Cl. Joannes Clericus, *ut res prout par erat, nondum expenſas, perſpectas tamen habere videri voluerint* (Philoſophi) *ea, inquam, ſuperbia paſſim eos adduxit, ut eas cauſas eſſe dicerent quarumdam rerum, antequam hoc ſatis conſtaret, ne viderentur aliquid ignorare* (b). Naſcitur ſecundo ex præcipitantia in judicando. Hinc ſiquidem fit, ut illud cenſeamus alterius cauſam, quod ipſum vel præcedere aliquando, vel interdum comitari conſpicimus, quaſi id ſatis ſuperque ſit, ut unum ex alio, tamquam ex vera ſui cauſa, jure deducatur. Itaque, ne in hoc vitium incauti labamur, pigere nos haudquaquam debet, longum pro earum dignitate ad res conſiderandas tempus inſumere, plurimumque attentionis & diligentiæ, ut ſuo etiam loco monuimus, in earum inveſtigatione atque examine collocare. Candide quoque fateri nos minime pudeat, neſcire quod neſcimus. Ut enim præclare monet Tullius: *ex ceteris Philoſophis nonne optimus & graviſſimus quiſque confitetur, multa ſe ignorare, & multa ſibi etiam atque etiam eſſe dicenda* (c)?

494.

(a) Auctor *Artis cogitandi* P. III. cap. 19.
(b) P. IV. *Logicæ* cap. 8. n. 3.
(c) Lib. III. *qq. Tuſcul.* cap. 2°.

V.

494. *De re id ſimpliciter & abſolute pronuntiare, quod illi non ineſt niſi per accidens*; nimirum rebus ipſis vitio vertere, quod ex earum abuſu unice provenit. Hoc itaque ſophiſma, quod *fallacia accidentis* vocari a Logicis ſolet, mirum dictu eſt, quam late dominetur. Plerique Medicos omnes proſcribunt, eoſque rudes imperitoſque judicant, ſi qua curatio eis non ſuccedat ex voto. Remedium pernicioſum cenſent, ac proinde nunquam adhibendum; quia infeliciter aliquis eo ſemel uſus eſt. Sunt, & quidem plurimi, qui mechanicam Recentiorum Philoſophiam dogmatibus fidei callide adverſari ajunt, tacitaſque ei inſidias moliri, ob id dumtaxat, quod contra doctrinam Eccleſiæ illa nonnulli abutantur, quaſi non humanæ malitiæ, ne dicam illius temeritatis, qua *divinas res humana ratione diſcernere atque metiri* (a) plerique audent, ſed ipſiuſmet Philoſophiæ, ingenuæ nimirum artis, ſit tam grande crimen. *Vitioſum eſt*, inquit Auctor ad Herennium, *artem, aut ſcientiam, aut ſtudium quidpiam vituperare propter eorum vitia, qui in eo ſtudio ſunt, veluti qui Rhetoricam vituperant propter alicujus Oratoris vituperandam vitam* (b). At nimis in longum abiret oratio, ſi omnia, quæ huic vitio obnoxia ſunt, ratiocinia recenſerentur. Id unum monuiſſe ſufficiat, in hoc ſophiſma turpiter labi heterodoxos, cum ajunt putantque, S. Romanæ Eccleſiæ ritus ac cæremonias ex eo labefactari, penituſque convelli, quod abuſus aliquis, ſuperſtioneſque in illas quandoque irrepſerint. Neque enim malus uſus poteſt rebus optimis maculam aliquam affricare. Quippe nihil eſt adeo ſanctum, quod ab humana malitia in malum uſum verti aliquando non poſſit.

VI.

495. *Argumentari ab eo, quod non eſt verum niſi aliqua ex parte, ſive ſecundum quid, ad ſimpliciter & abſolute*. Ut ſi quis perperam cum Epicureis contenderet, humanam formam, quia omnium pulcherrimam, Deo eſſe tribuendam. Quamvis enim hominis forma earum omnium, quæ in corporeis viventibus occurrunt, pulcherrima dici poſſit, non propterea adeo perfecta cenſenda eſt, ut plane ſit digna, quæ Deo tribuatur.

(a) S. Joannes Chryſoſtomus *Homil.* II. *in Epiſt.* 2. ad Timoth.
(b) Lib. II. cap. 27.

VII.

496. *Argumentari a ſenſu diviſo ad ſenſum compoſitum*; aut viciſſim *a ſenſu compoſito ad ſenſum diviſum*. Primum *compoſitionis*, *diviſionis* alterum ſophiſma vocatur. Peccaret primo modo, qui viſionem & cæcitatem ſimul in eodem ſubjecto ex eo componi poſſe contenderet, quod ex Evangelio perſpicua res ſit, cęcos plurimos, Chriſti juſſu, vidiſſe. Peccaret vero ſecundo modo, qui opinaretur, nulla potentia poſſe fieri, ut cęcus videat, propterea nimirum quia cęcitas, atque viſio in eodem ſubjecto ſibi mutuo adverſari videantur. Quamvis enim conſtet aperte, plures cęcos miraculoſe, juſſu Chriſti, viſionem obtinuiſſe, falſum tamen eſt, videndi facultate illos fuiſſe donatos, quin cæcitatis vitium amitterent.

VIII.

497. *Converſim in iis arguere, quæ minime convertuntur*; ut ſi quis vellet, omne vivens eſſe hominem, quia omnis homo eſt vivens; aut viciſſim non omnem hominem eſſe viventem, quia non omne vivens eſt homo. Peccaret itaque *fallacia conſequentis*, quia nempe conſequi illa arbitraretur, quæ minime conſequuntur.

IX.

498. *Vitioſa inductione uti*. Videlicet ex aliquot dumtaxat propoſitionibus particularibus in *materia contingenti* univerſalem propoſitionem inferre, ſeu omnibus tribuere, quod *contingenter* aliquibus tantum ineſſe conſpicimus. Sicuti autem nullum eſt, præſertim in phyſicis, argumenti genus, quod frequentius adhibeamus, ita nullum eſt, quo abutamur facilius. In omni ergo *inductione*, quemadmodum egregie monet Vir Cl., maxime cautos nos eſſe oportet, *ne nimis properantes procedamus, & ex pauciſſimis ſingularibus ſtatim ad univerſale, vel ex quibuſdam dumtaxat partibus ſtatim ad totum evolemus. In iis enim ſi vel minimum quid deeſt, miſerrime poſſumus decipi; ut ſi forte unicum experimentum in contrarium afferatur, vel unius ſingularis, aut partis alia ratio eſſe oſtendatur quam qua de aliis attulimus, tum tota inductio everſa erit, & ex ea non ſequetur illa concluſio, quam intendimus. Illud certum & indubitatum inductione videbatur, frigore tuncta corpora contrahi, & tamen ex innumeris obſervationibus conſtat,*

aquam

Digitized by Google

aquam congelatam amplius ſpatium occupare, quam ante congelationem. Infinita ſunt ejuſmodi, quæ nobis inductione certa videbantur, quæ tamen uſu & experientia falſa eſſe deprehendimus (a).

X.

499. Ab *vitioſa inductionis* ſophiſmate illud poſtremo parum diſtat, quod *imperfectæ numerationis* appellari vulgo ſolet. Si autem Viro doctiſſimo credimus, nullum eſt vitium, in quod facilius labantur eruditi, quam *in imperfectam enumerationem, modorumque, quibus res eſſe, aut effici poteſt, negligens atque oſcitabundum examen. Hinc temere concludunt, vel rem non eſſe, quia hoc modo non eſt, quamvis alio eſſe poſſit; vel illam hoc aut illo modo eſſe, cum inſuper alio, quem nondum conſiderarunt, eſſe queat* (b). Ceterum ſi, cum de rerum natura diſſeritur, frequenter ob *imperfectam enumerationem* peccamus, ſæpiſſime tamen hac eadem de cauſa alios fallimus, & fallimur ipſi, cum de Veterum ſcriptis interpretandis res nobis occurrit. *Paſſim contendunt Critici*, inquit hac in arte peritus Joannes Clericus, *loqutionis alicujus eſſe unum ſenſum, aut etiam geminum, ac triplicem, quo poſito, unum amplectuntur, aut omnes reiiciunt, indeque locum corruptum eſſe judicant; cum ſæpe fiat, ut ex memoratis ſenſibus nullus ſit is, quem Scriptor in animo habuit* (c). Vides ergo, quanta in rebus omnibus conſiderandis ſit neceſſitas ſummæ attentionis. Hac enim una omnibus illis vitiis occurrimus, quibus ratiocinia noſtra, intellectus culpa, labefactantur.

Sophiſmata voluntatis.

I.

500. Princeps origo errorum, quibus, voluntatis vitio, ratiocinia noſtra obnoxia eſſe ſolent, amor ille eſt, quo ſua quiſque proſequitur. Hinc enim non ſolum plane certa nobis ea omnia ſunt, quæ ipſi excogitavimus, verum etiam aliis ita firma illa eſſe volumus, ut cæcutire nobis videantur, qui contrarium ſentiunt; vitioque vertamus putidi livoris atque invidiæ, ſi quis judicio noſtro ea ſuper re refragetur, quæque defendimus ipſi, ille oppugnet. *Omnium maximum quiddam malum*, inquit Plato, *in multorum hominum animis eſt in-*

 na-

(a) Chauvin. *Lexic. Phil.* v. *inductio.*
(b) Auctor *Artis cogitandi* P. III. cap. 19.
(c) P. IV. *Logicæ* cap. 8. num. 5.

natum; cujus quidem, cum facile ſibi omnes ignoſcant, remedium nullum excogitant. Eſt autem hoc, quod dicere ſolent, quod natura ſibi quiſque amicus eſt, recteque eſt, ita id ſe habere. Sed revera nimius in ſeipſum amor omnium peccatorum omnibus ſemper eſt cauſa. Occæcatur quippe circa amatum, qui amat. Quapropter, qui ſe amat, quum ſeipſum magis, quam veritatem, honorandum putet, quid bonum, juſtum, pulchrum ſit, male judicat. Decet ſane eum, qui magnus Vir futurus eſt, neque ſeipſum, neque ſua diligere, ſed juſta ſemper, ſive a ſeipſo, ſeu ab alio quovis gerantur. Ex hoc ipſo accidit omnibus, ut ignorantiam ſuam eſſe ſapientiam opinentur. Hinc ſit, ut quamvis nihil, ut ita dicam, ſciamus, ſcire tamen omnia arbitremur (a).

I I.

501. Si plura ſunt, quæ non in civili tantum vita, ſed etiam in rerum ſcientia, ex ſui amore vitia naſcuntur, certe ſunt longe plurima, quæ ex ſuperbia proveniunt. Efficit amor noſtri, ut, quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire velimus (*). At ſuperbia eo nos plerumque adducit, ut non ſolum falſa arbitremur, quæ, nobis inſciis, nuper detecta ſunt, feliciterque inventa; verum etiam ut plura, quia noſtra, conſtantiæ cauſa defendamus, quæ ipſimet plane falſa alioquin cognoſcimus. Exſtant profecto non pauci honorifice adeo de proprio ingenio, doctrinaque ſentientes, ut ipſis ratum fixumque ſit, nihil deinceps excogitari ab aliis poſſe, quod ipſi non viderint. Commentitium propterea dicunt, quidquid recens detectum eſt, hac ſane lepida uſi ratione: *fore, ut ipſi non eſſent docti, ſi illud veritati conſentiret*. Sunt vero alii, qui nimis turpe arbitrantes

parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri (b),

etſi intus mirentur nuper excogitata, ſtudioque reperta, *errare tamen malunt, eamque ſententiam, quam adamarunt, pugnaciſſime defendere* (c), quam perſpicuæ veritati manum dare, propriamque inſcitiam ingenue candideque fateri. Hi ergo velim ſæpe revolvant animo, ſerioque conſiderent, levitatem non eſſe, *a cognito & damnato errore diſcedere*, ac fateri ingenue: *aliud putavi: deceptus ſum*. Superbæ vero ſtultitiæ maximam eſſe perſeverantiam, *quod ſemel dixi, qualecumque ſit, fixum ratumque* habere (d). Quippe, ut ſapienter monet Tullius, *non parum cognoſſe, ſed in parum cognito ſtulte & diu per-*

(a) Lib. V. *de Legibus*.
(b) Horatius lib. II. *Epiſtolar*. Ep. ad *Auguſtinum*
(c) Tullius lib. IV. *qq. Academ.* cap. 3.
(d) Seneca lib. IV. de *Beneficiis* cap. 38.

(*) Quæ volumus, credimus libenter, & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus. *Cæſar de bello civili* lib. II.

Digitized by Google

perſeveraſſe, turpe eſt; propterea quod alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari uniuſcujuſque vitio eſt attributum (a). Unde beatum vocat, *cui etiam in ſenectute contigerit, ut ſapientiam, veraſque opiniones aſſequi poſſit* (b).

I I I.

502. Ex hoc eodem fonte illud itidem oritur voluntatis ſophiſma, quod Joannes Clericus *argumentum ab invidia ductum* ſatis apte appellat. In eo enim totum poſitum eſt, *ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offenſio concitetur* (c), ut hinc ſcilicet vel illius minuatur auctoritas, vel, quæ ab eo traditur doctrina, facilius convellatur. Multis porro modis, ex ipſo Clerico, concitatur invidia. Creatur enim I. *cum ſententia, quam impugnandam aggredimur, non ingenue, & ſua nativa facie, ſed perperam, & inique exponitur*. II. *cum nominibus invidioſis, exoſiſque titulis illa infamatur*. III. *cum eadem iis confertur, quæ jam ab Eccleſia damnata ſunt, quaſi commune aliquid cum illis haberet*. IV. *cum pondus controverſiæ augetur, maximique momenti res ipſa fingitur, quamvis in ſe ſit leviſſima*. V. *cum auctor accuſatur, quod voces, uſu, pluriumque auctoritate conſecratas, adhibere noluerit, ut hinc callide dogma reiiceret, quod vocibus illis exponi ab omnibus ſolet*. VI. *cum oppoſitæ ſententiæ rationes atque principia malitioſe occultantur, vel ita exponuntur, ut nullius prorſus valoris atque ponderis illæ appareant*. VII. *cum tacentur incommoda, quibus opinio noſtra premitur, & occultantur momenta, quibus convelli ipſa poteſt, vel plurimum labefactari*. VIII. *cum viciſſim ex ſententia, quam oppugnamus, invidioſa conſectaria deducuntur*. IX. *cum non ſolum nulla eorum mentio efficitur, quæ auctorem excuſare poſſunt, verum etiam in malam partem accipiuntur, quæ explicari commode queunt, & ſano ſenſu intelligi*. X. *cum plura in diſceptatione miſcentur, quæ penitus abs re ſunt, ad creandam tamen invidiam quammaxime conferunt*. XI. *cum novitas, quaſi crimen, obiicitur*. XII. *cum contraria ſententia paucorum eſſe, & quidem exiguæ famæ, oſtenditur; qui vero illi adverſantur, viros eſſe eximios, atque doctrina apprime celebres*. XIII. *cum ex peritis idoneiſque judicibus fit provocatio ad iniquos & imperitos*. XIV. *cum denique contrariæ ſententiæ patroni ac fautores, perinde ac ſi perturbatores eſſent publicæ tranquillitatis, apud Viros Principes infamantur, maligniſque ſuſpicionibus exponuntur, quaſi de regnis, de veritate, deque ipſa*

(a) Lib. II. de *Inventione* cap. 3.
(b) Lib. V. *de finibus* cap. 21.
(c) Tullius lib. I. de *Inventione* cap. 53.

ipſa fide actum plane ſit, ſi eorum doctrina in ſcholis recipiatur. Fruſtraneum autem puto, ſingula hujuſcemodi capita fuſe exponere, & illuſtrare exemplis. Cordato enim viro, veritatiſque amatori ingenuo, ut vitia fugiat, erroreſque devitet, ſatis ſuperque eſt, eorum fontes vel leviter noviſſe.

I V.

503. In aliud quoque extremum, inveſtigandæ veritati non minus ſane perniciosum, voluntas ipſa quandoque dilabitur. Exſtant, & quidem non pauci, qui Doctorem unum ita præ ceteris diligunt, ejuſque dicta adeo religioſe, ne dicam ſuperſtitioſe, amplectuntur, ut non gloriæ ſolum, verum etiam piaculum ducant, ab illius verbis ne latum quidem unguem diſcedere. Nihil propterea, quam Pythagoricum illud IPSE DIXIT, frequentius ipſis eſt, nihilque putant ad objecta omnia diluenda magis idoneum. Tantum quippe apud eos poteſt præjudicata quævis opinio Magiſtri, in cujus verba jurant, ut, non ſecus ac de Pythagoræ Diſcipulis olim præclare ſcripſerat Tullius (a), etiam ſine ulla proſſus ratione, illius quævis vel minima apud eos valeat auctoritas. Itaque etſi non inficiar, utile plurimum eſſe, habere ducem, qui facem nobis præbeat, ſemitamque oſtendat, ne in addiſcenda ingenua facultate lapidem verberemus, neve in rebus perſcrutandis decipiamur; contendo tamen, cum de iis rebus controverſia eſt, quæ non ab auctoritate, ſed a ratione dependent, tantum nemini dandum a nobis eſſe, ut pro aliqua illius tuenda opinione, tutandaque ſententia, tamquam pro aris & focis, pugnare debeamus. Refert certe plurimum, inquit doctiſſimus Melchior Cano, *in quacumque arte unum in illa excellentem auctorem legere, cui potiſſimum te addicas. Nullus tamen, quamlibet eruditus, ſentiendi tibi, ac diſſentiendi auctor futurus eſt. Nemo enim fuit omnium, qui non, ut homo, interdum hallucinaretur* (b). Profecto *rerum natura*, teſte Seneca, *ſacra ſua ſimul non tradit. Initiatos nos credimus; in veſtibulo ejus hæremus. Illius arcana non promiſcue, nec omnibus patent; reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet*, (c). Recte propterea ſcripſerat olim Lactantius, *oportere ſcilicet in ea re maxime, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuoque judicio, ac propriis ſenſibus niti, ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quam cre-*

(a) Lib. I. de *natura Deorum* cap. 5. (c) Lib. VII. *qq. Naturalium* cap. 31.
(b) Lib. X. de *locis Theol.* cap. 5.

credentem alienis erroribus decipi, tamquam ipſius rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere. Nec quia nos illis temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt; quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. Illibabilis eſt tamquam lux & claritas Solis; quia, ut Sol oculorum, ſic ſapientia lumen eſt cordis humani. Quare cum ſapere, ideſt veritatem quærere, omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis, pecudum more, ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur, aut illi deſipuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipſis ſumamus exemplum, quomodo illi, qui falſa invenerant, poſteris tradiderunt, ſic nos, qui verum invenimus, poſteris meliora tradamus (a).

(a) Lib. II. *Divin. Inſtit.* cap. 7.

LOGICES PARS QUARTA.

De methodo.

TRaditis, quæ ad *apprehenſionem*, *judicium*, atque *ratiocinationem* pertinent, reſtat, ut aliqua de *methodo* videamus. Hæc certe ceterarum operationum mentis noſtræ apex veluti eſt & complementum. Neque enim ſuum illa finem, cognitionem ſcilicet veritatis, aſſequi unquam poterit, niſi recte in rebus inveſtigandis incedat, atque adeo niſi certa methodo ſeipſam dirigat. Agemus itaque primo de *methodo*, qua verum inveniendum eſt; tum de illa, qua verum nobis notum, ceteris eſt explicandum; quibus deinde pauca de *methodo ſtudendi*, nonnullaque de *methodo*, quæ *diſputationis* dicitur, ſubiiciemus.

SECTIO PRIMA.

De methodo Logico-analytica, ſive inventionis.

504. M*Ethodus Logico-analytica*, ſeu *inventionis*, eſt ars diſponendi cogitationes noſtras, ut, quantum humana conditio patitur, verum, quod nos latet, detegamus. Dicitur *analytica*, nempe *reſolutionis* (eſt enim *analyſis* Græce, quod Latine *reſolutio*) quia, ut, quod in abdito deliteſcit, apertum nobis fiat, omne totum dividi debet in ſuas partes, omne compoſitum reſolvendum eſt in ſua principia, omniſque effectus ad ſuam cauſam eſt revocandus. En itaque regulæ, quibus in veri inveſtigatione, rerumque examine procedamus oportet.

REGULA I.

505. *Determinandum nobis clare, nitideque definiendum illud in primis eſt, in quo noſtra verſari debet inquiſitio.* Niſi enim nobis aperte conſtiterit, quidnam ſit, quod inveſtigandum aggredimur, fieri certo nunquam poterit, ut illud inveniamus. Huc quippe, atque illuc continuo divagabitur mens, quin unquam ad ſcopum perveniat. *Evitan-*

Digitized by Google

tandum itaque eſt, ut præclare monet Vir Cl., *nonnullorum vitium, qui præcipiti & inconſulto animi impetu, reſponſa & ſolutiones dare conantur, priuſquam bene ex circumſtantiis, aliiſque indiciis conſtiterit, quid quæratur, ex quibus, cum ipſis offertur, id eſſe, quod quæritur, cognoſcere poſſint; non aliter, quam ſi ſervus, jubente hero amicum accerſiri, protinus ſe in pedes conjiceret, nondum audito ejus nomine, quem ex amicis herus conventum cupit* (a).

REGULA II.

506. *Removenda ea omnia ſunt, ac penitus negligenda, quæ ad propoſitam quæſtionem nullatenus ſpectant; ſed illud dumtaxat ante oculos ſemper habeamus oportet, quod invenire optamus.* Neque enim tanta eſt humanæ mentis vis, non ea illius potentia, ut in pluribus verſari ſimul poſſit, eaque omnia perfecte attingere, quæ ipſa conſiderat.

REGULA III.

507. *Dividatur, quoad fieri poteſt, omne totum in ſuas partes, omne genus in ſuas ſpecies, eaque omnia ſeparentur a ſe mutuo, atque in certas claſſes diſtribuantur, quæ ſunt diverſa.* Repugnat quippe, ut recte expendantur, & cognoſcantur optime, quæ confuſa invicem ſunt, ſimulque permixta. *Si confundamus capita diverſa, nunquam*, ut egregie advertit Joannes Clericus, *eorum diſtinctas ideas habebimus. Confuſio enim & diſtinctio in una ſede non morantur. Hinc vix poterimus ideas inter ſe comparare, ut ſunt comparandæ ad veritatem tuto inveniendam: quæ ſi aliter nobis occurrat, id potius caſui, quam ſapientiæ imputandum erit. Ut enim is, qui oculis ſimul plura videre vult, nec ea diſtincte videt, nec poteſt de ſingulis ſatis judicare, ita qui mente plura, quam poteſt, complecti nititur, ſeipſum perturbat, nec certa judicia de pluribus ſimul ferre poteſt* (b).

REGULA IV.

508. *Conſtituto, quod inveſtigandum eſt, attente obſervare debemus, quidnam ea ipſa in re nobis innoteſcat.* In omni enim quæſtione ſemper aliquid habetur nobis plane notum. Mens quippe noſtra *ignotis intantum capiendis par eſt, inquantum diverſimode illa participant de eorum natura, quæ nobis prius nota erant* (c). RE-

(a) Auctor *Artis cogitand.* P. IV. cap. 2. (c) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 2.
(b) P. III *Logicæ* cap. 8. num. 2.

Digitized by Google

Regula V.

509. *Quod in ipſa quæſtione notum nobis eſt, atque perſpicuum, cum eo, quod latet, attente conferre & comparare debemus. Ubi autem ex hac comparatione veritas aliqua eluceſcere incipit, hæc veluti ſcintilla fovenda promovendaque ſummo ſtudio ac diligentia eſt, donec ſcilicet ad id, quod quærimus, perveniamus.* Sicuti enim teſte Tullio, *eſt admirabilis quædam continuatio ſerieſque rerum, ut alia ex alia nexa, & omnes inter ſe aptæ colligatæque videantur* (a), ita veritatum tanta connexio eſt, tamque mirabilis conſenſus inter ſe mutuo, ut ex una nitide cognita, quantumvis exigui momenti illa nobis videatur, aliæ atque aliæ, & quidem prorſus eximiæ, modo plane ineffabili, jugiter pullulent, ac deriventur. Unde S. Auguſtinus, *cognitio*, inquit, *veritatis omnia falſa, ſi modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, & dijudicare, & ſubvertere idonea eſt* (b).

Regula VI.

510. *Hinc plurimum intereſt*, quemadmodum egregie monet Carteſius, *cogitationes noſtras certo ordine promovere, incipiendo ſcilicet ab iis rebus, quæ cognitu nobis ſunt faciliores, atque ex his paulatim ac veluti per gradus ad difficiliorum magiſque abſtruſarum inveſtigationem progrediendo; in aliquem etiam ordinem eas diſponendo cognitiones, quæ ſeſe mutuo natura ſua non præcedunt* (c). Enimvero ſicuti natura nihil prorſus per ſaltum molitur, ſed, a ſimplicioribus facilioribuſque ſumto initio, ad difficiliora ſenſim progreditur, ſuaque opera paulatim perficit, ita humana mens ad ſublimiores veritates attingendas nunquam pervenier, niſi in levioribus conſiderandis primo ſeſe plurimum exercuerit, atque ad majores ſuſcipiendas ſeſe idoneam ſenſim reddiderit. Profecto, *ſi quis vellet*, inquit Joannes Clericus, *Arithmeticam diſcere, & ſtatim leviter quatuor primas regulas* additionis, ſubtractionis, multiplicationis, & diviſionis, *quod ſint faciles intellectu, delibaret, deinde quamprimum ad ulteriores regulas, quales ſunt regulæ, quæ* trium, & falſi *dicuntur, progrederetur, is ſane tantam in hiſce difficultatem experiretur, ut arti, niſi denuo a ſimplicioribus inciperet, eaque ita memoria mandaret, ut ſemper eſſent in promptu, valedicendum ei eſſet. Quod autem de Arithmetica*

(a) Lib. I. de *natura Deorum* cap. 4.
(b) Epiſt. 118. *alias* 56.
(c) De *methodo* num. 2.

Digitized by Google

tica dicimus, id de aliis omnibus diſciplinis dici cenſendum eſt. Attamen in ſolvendis nodis Philoſophicis, ea methodus negligitur; ſimplicia & facilia, quaſi nota, vix delibantur, ac uno, ut ita dicam, ſaltu ſe horum ſtudioſus ad difficilia & compoſita confert; unde fit, ut ſudet, hæreat, & ubi, quod cogitat, effert, nihil præter nugas, aliis propinet (a).

REGULA VII.

511. Quoniam autem Logica *analyſis* in eo potiſſimum conſiſtit, ut a particularibus, quæ latent, ad univerſalia principia, nobis ex ſuis terminis pleniſſime nota, aſcendendo perveniamus, *animo attento animadvertamus oportet, ne finis ratiocinationi imponatur, niſi ad illa univerſalia, ſuiſque ex terminis nobis plane nota principia ventum revera in ipſa ratiocinatione fuerit.*

REGULA VIII.

512. *Quamobrem, ratiocinatione completa, ea omnia principia conſideranda ſummo ſtudio ſunt, & æqua rationis lance perpendenda, ad quæ per aſcenſum pervenimus, ne quid ſcilicet habeatur veluti notum atque perſpectum, quod jure poteſt in dubium verti.* Cum enim ex hujuſce-modi principiis illud deinde per deſcenſum a nobis derivetur, & oſtendatur, in cujus inquiſitione verſati antea ſumus, fallamur certe neceſſe eſt, ſi pro certo inconcuſſoque principio id habeamus, quod prorſus vacillat. Plurimum idcirco intereſt, quemadmodum egregie monet Cl. Petrus de Croſa, *poſt deductam aliquam concluſionem, attente quærere, quid ad principium, unde deducta eſt, infirmandum, quid ad conſequentiæ neceſſitatem convellendam, ipſi diceremus, ſi pro partibus adverſis, vi præjudiciorum atque educationis, ſtaremus? Quæ eſſent nobis quærenda, atque ponenda firmamenta, adverſarium nacti ſi eſſemus ſubtilem & obſtinatum? Qua ratione a nobis percepta horum rudi ac imperito, non tamen prorſus ingenio carenti, concipienda tradere poſſemus? Quid curioſus, ſagax & difficilis in methodo noſtra deſideraret? Quid livore ductus in ea carperet, ut contra tela praviſa noſtram doctrinam undique muniamus* (b)?

SE-

(a) P. III. *Logicæ* cap. 4. num. 7. & 8.
(b) P. IV. *Logicæ* cap. 2. §. 16.

SECTIO SECUNDA.

De methodo Logyco-ſynthetica, ſive doctrinæ.

513. **M***Ethodus Logico-ſynthetica*, quæ *doctrina* etiam dicitur, eſt ars diſponendi cognitiones noſtras, ut verum nobis jam plane notum palam aliis fiat, nitideque oſtendatur. *Synthetica* autem hujuſcemodi methodus dicta eſt a Græco vocabulo *ſynthesis*, quod Latine *compoſitionem* refert; quia in quavis tradenda doctrina, quaſi componendo, incedendum eſt: videlicet a ſimplicioribus, univerſalibus, ſcituque facilioribus ad minus ſimplicia, compoſita, particularia, atque difficiliora ſcitu, pedetentim eſt deſcendendum. Hinc *ſynthetica methodus* eodem ferme modo ab *analytica* differre videtur, quo rationes inveſtigandæ, & demonſtrandæ genealogiæ inter ſe mutuo diſcriminantur. Sicuti enim, ut alicujus genealogia detegatur (quod ſpecies quædam *analyſis* eſt) exordium ab eo ſumitur, cujus originem inveſtigamus; atque hinc, donec, qui primum in illa ſerie locum tenet, nobis occurrat, ad majores paulatim aſcenſus efficitur; ita contraria ratione, ut cognita genealogia explicetur (quod fit per *ſynthesim*) a majoribus initio ſumto, ad poſteros paulatim deſcendimus, quouſque ad eum, cujus exponenda demonſtrandaque origo eſt, perveniamus. Eſt igitur *analytica methodus* veluti aſcenſus a valle ad montem; *ſynthetica* vero, quaſi a montis vertice ad imum vallis deſcenſus, adeo nempe ut eo incipiat una, quo altera deſinit. En itaque regulæ, quibus *ſynthetica* docendi *methodus* tota abſolvitur.

REGULA I.

514. *Subjectum, in quo verſari volumus, ita ſecandum in primis eſt, easque in partes diſtribuendum, quæ ſeparatim pertractari a nobis poſſint. Hæc tamen diviſio debet eſſe, quoad poteſt fieri, naturalis, hujuſmodi nempe, ut natura ipſius ſubjecti partes illæ quamaccurate reſpondeant.* De utilitate diviſionis in rebus cujuſvis generis pertractandis non eſt, cur plura dicam. Aperte ſiquidem conſtat, in omni diviſione naturali partes ita ſe habere, ut unius cognitio ad alias explicandas facem præferat, & viam aperiat. Hinc Quintilianus explicans, quantum ad recte differendum conferat ipſa diviſio, *quiſquis*, ait, *viam, qua ſit ingrediendum, diſcet, ducetur ante omnia rerum ipſa ſerie,*

velut duce, propter quod homines etiam modico exercitati, facillime tenorem in narrationibus ſervant. Deinde, quid quoque loco quærant, ſcient; nec circumſpectabunt, nec offerentibus ſe aliunde ſenſibus turbabuntur, nec confundent ex diverſis orationem, velut ſalientes huc illuc, nec uſquam inſiſtentes. Poſtremo habebunt modum & finem, qui eſſe citra diviſionem nullus poteſt (a).

REGULA II.

515. *In quavis ſubjecti parte pertractanda, non ſolum ab univerſalioribus, ſimplicioribus, ſcitu facilioribus, minuſque ignotis ſumendum initium eſt, atque ex his paulatim ac veluti per gradus ad particularia, compoſita, ſcituque difficiliora, & minus nota eſt progrediendum; verum etiam cognitiones ipſæ ea debent lege & ratione inter ſe diſponi, ut una ex alia, perinde atque effectus a ſua cauſa, derivetur, quaque poſterior eſt, ab ea, quæ præcedit, lumen accipiat.* In hoc enim poſita eſt tota *ſyntheſis* ratio; apertoque conſtat ex Matheſi, quantum ad tradendam rerum apprime etiam difficilium & abſtruſarum nitidam atque facilem explicationem hæc regula conferat. *Extra omnem controverſiam eſt*, inquit Vir Cl., *& addiſci multo facilius, & memoria felicius teneri ea, quæ legitimo ordine docentur; cum ideo, quæ naturaliter ſibi quaſi catenatim connectuntur, & memoriæ, minori cum confuſione, committantur, & promptius, ubi opus eſt, ſeipſas quaſi excitent, atque evocent* (b). Itaque, ut id recte fiat, animadvertenda ſunt, quæ ſequuntur.

REGULA III.

516. *Explicandum initio eſt, in quo verſari volumus.* Ut enim præclare monet ſummus Orator Tullius, *omnis, quæ ratione ſuſcipitur, de aliqua re inſtitutio, debet a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur* (c). Et ſane ſicuti in veri inveſtigatione oleum & operam perdit, qui plane neſcit, quid quærat; ita aerem verberat in docendo, qui ea de re diſſerit, cujus nobis nulla omnino notio eſt, nullaque prorſus cognitio.

REGULA IV.

517. *Expoſito quæſtionis ſtatu, definiendi ſeparatim ſunt omnes termini,*

(a) Lib. X. *Inſtit. Oratoriar.* cap. 7.
(b) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 10.
(c) Lib. I. *de Officiis* cap. 1.

mini, qui ad dicendorum intelligentiam prodeſſe poſſunt, conficiendiſque demonſtrationibus inſervire. Recta enim docendi methodus id unum neceſſario poſtulat, ut ea primo loco tradantur, quæ ad poſteriora explicanda, vel demonſtranda uſui eſſe debent. Itaque, cum ad rerum intelligentiam nihil magis conferat, quam diſtincta terminorum notio, nihil in terminis relinquendum eſt obſcuri, vel ambigui, quod non definiatur; nullumque terminum in ipſis condendis definitionibus adhibere debemus, qui vel plane notus non ſit, vel antea non explicatus.

REGULA V.

518. *Terminorum definitionibus ſubiiciantur axiomata, ſi qua uſui futura ſint ad demonſtrationes conficiendas.* Cum enim omnis demonſtratio conſtet ex præmiſſis certis & evidentibus, ſi qua ex his habeatur, quæ ſit ex ſuis terminis manifeſta, plurimum intereſt, eam poſt terminorum definitiones collocare, & quidem præcipue, ſi ad diſciplinam, quam pertractamus, peculiari quodam jure pertineat. Hinc enim illud certe efficitur, ut ipſis veluti oculis cernantur ea, quæ oſtenduntur; cum pateat hoc ipſo, ex quonam quaſi fonte, atque principio illa omnia proveniant. Cavendum proinde hac in parte quammaxime eſt, ne qua propoſitio pro *axiomate* habeatur, quæ vere ex ſuis terminis non ſit evidentiſſima. Ut enim nonniſi falſum ex falſo, ita nonniſi ambiguum ex eo, quod dubium eſt, legitima illatione deducitur.

REGULA VI.

516. *Si qua, principii loco, aſſumenda ſit propoſitio, qua ad aliam diſciplinam, facultatem, ſive artem pertineat, in eaque oſtendatur; neque commode citari illa poſſit, utile eſt, poſt axiomata ſub ratione* hypotheſis, *vel* dati *eam collocare, & ſi opus fuerit, paucis etiam exponere.* Haud raro enim contingit, ut, quæ in una diſciplina traduntur, aſſumi, tamquam omnino certa penituſque inconcuſſa principia, in altera debeant. Sic plura ab Arithmetica, & Geometria, neque pauca ab Anatomia mutuatur Phyſica, eaque habet pro certiſſimis, licet neque manifeſta ex ſuis terminis illa ſint, neque in ipſa Phyſica oſtendantur. Si qua ergo, principiorum inſtar, quamvis ex ſuis terminis minime nota, ex alia facultate, vel arte aſſumenda ſint, ut demonſtrationes in ea, quam tradimus, Diſciplina conficiantur, aſſumantur quidem, verum non plane abſolute, ſed ſub ratione *hypotheſis*, vel

Digitized by Google

vel *dati*, eaque poſt *axiomata* diſtincte collocentur. Expedit quoque paucis ea exponere, ſi nimirum hujuſcemodi fortaſſe ipſa fuerint, ut non ita facile mente comprehendi ab omnibus poſſint, recteque intelligi. Animadvertendum tamen, ne quid hoc modo ſumatur, niſi vel plane ad evidentiam in ea, ad quam pertinet, Diſciplina demonſtretur, vel periti omnes, aut fere omnes, vel ſaltem ſapientiores in illo admittendo conſentiant. Certum enim id eſſe debet, quod in demonſtratione, *principii* loco, adhibetur.

REGULA VII.

110. *Si iis de rebus agere debeamus, quæ, nonniſi experientia præbente facem, certo cognoſci, recteque explicari a nobis poſſunt; ea omnia præmittenda ſunt experimenta, ex quibus cognitiones, quas tradituri ſumus, derivantur*. Ut ſi explicanda ſit natura *caloris*, omnia illa experimenta præmitti debent, quæ nobis uſui fuerunt ad *calorem* ipſum cognoſcendum; quæque proinde ad illius naturam explicandam adhiberi, principiorum inſtar, a nobis optime poſſunt. Neceſſe idcirco eſt, ut ipſa experimenta ſint certiſſima, cujuſmodi ea omnia jure cenſentur, quæ a viris hac in arte peritiſſimis facta ſunt, communique calculo ab omnibus admittuntur. Dubia enim nequeunt loco principiorum aſſumi. Id vero, de quo periti omnes uno ore conſentiunt, jure non poteſt ab imperitis in controverſiam vocari, multoque minus veluti falſum reiici.

REGULA VIII.

521. *Hiſce poſitis, ad tractationem ſubjecti veniendum eſt; quæ quidem expedit, ut per diſtinctas propoſitiones perficiatur. Sic porro propoſitiones ipſæ debent diſtribui, eoque ordine collocari inter ſe, atque diſponi, ut univerſaliores, magiſque ſimplices præcedant eas, quæ ſunt minus univerſales, & magis compoſitæ; eæque primo loco ponantur, quæ ad alias demonſtrandas aperire viam poſſunt, ac veluti principia aſſumi*. Hæc regula tanti momenti eſt, ut in ea potiſſimum ſyntheſis ipſa conſiſtat. Perſpicue quippe cognoſcitur, quod diſtinctis propoſitionibus exhibetur; ſique naturalis in ipſis digerendis ſervetur ordo, difficillima quæque non minus facile, quam nitide demonſtrantur.

REGULA IX.

522. *Singulæ propoſitiones primo, ſi opus fuerit, explicentur, tum oſten-*

oſtendantur ope definitionum præmiſſarum, axiomatum conceſſorum, experimentorum, aliarumque propoſitionum, quæ vel demonſtrata antea fuere, vel pro certis jure habentur. Neque enim propoſitio, ex ſuis terminis nequaquam nota, poteſt nobis vera certo conſtare, niſi plane certa ſint principia, quibus oſtenditur. De iis porro propoſitionibus ſermo mihi hoc loco eſt, quæ non ſunt ex ſuis terminis adeo claræ & evidentes, ut vel levi adhibita attentione nobis veræ appareant. Si qua enim clara & evidens in illa ſerie occurrit, peccatum arbitror, in ea demonſtranda operam aliquam curamque collocare; quippe, teſte Tullio, *quæ propoſitio in ſe quiddam continet perſpicuum, & quod conſtare inter omnes neceſſe eſt, hanc velle approbare & firmare nihil attinet* (a). Ceterum animadvertere hoc loco plurimum intereſt, ne de convincendo potius, quam de illuminando intellectu ſolliciti ſimus. Vitandæ propterea ſunt, quoad fieri poteſt, eæ omnes demonſtrationes, quæ *per impoſſibile*, ſive *ab abſurdo* dicuntur, adeo nempe ut nunquam, niſi cum aliæ nobis haudquaquam occurrunt, illis utamur. Ad veritatis quippe ſcientiam ſatis non eſt, ut metuere nequeamus, ne vera ſint, quæ cognoſcimus, ſed neceſſario requiritur, ut nobis conſtet aperte, cur, quæ mente complectimur, veritati conſentiant.

Regula X.

523. *Si qua ex illis propoſitionibus plures caſus habeat, ſinguli recenſendi primo ſunt, tum ſeparatim oſtendendi, niſi forte eorum aliquis aut clariſſimus ex ſe fuerit, aut ex jam demonſtratis ſua veluti ſponte fluat. Tunc enim ſufficit, eum breviter exponere, & qua ratione ex aliis colligatur, paucis indicare.* Ex diſtincta ſiquidem omnium caſuum probatione, plena perfectaque ipſius propoſitionis demonſtratio neceſſario pendet.

Regula IX.

524. *Si pro demonſtranda aliqua propoſitione neceſſe ſit, aliam, principii loco, aſſumere, quæ neque ad rem, in qua verſamur, pertineat, neque ex ſuis terminis ſit manifeſta, neque citari aliunde commode poſſit, demonſtrandæ propoſitioni præmittatur, & demonſtretur.* Hujuſcemodi propoſitiones *Lemmata* vulgo dicuntur, atque ex Matheſi ſatis patet ipſorum uſus, & quantum ad demonſtrationes nitide conficiendas ea ipſa conferant.

(a) Lib. I. *de Inventione* cap. 36.

REGULA XII.

525. *Cuilibet propoſitioni, poſtquam oſtenſa plane fuerit, ſua conſectaria ſubiiciantur.* *Conſectarium*, ſive *corrollarium* dicitur propoſitio, quæ adeo aperte ex alia ſequitur, ut peculiari demonſtratione non indigeat. Horum utilitas ex eo vel maxime patet, quod hinc manifeſtum fiat, quomodo ex una veritate innumeræ aliæ veluti ſua ſponte fluant, & deriventur.

REGULA XIII.

526. *Singulis propoſitionibus, earumque corollariis ſcholia ſubjiciantur in quibus explicetur, ſi quid in ipſis propoſitionibus, & corollariis occurrat, quod vel eruditionem redoleat, vel ad pleniorem dicendorum intelligentiam prodeſſe aliquo modo poſſe videatur.* Mirum profecto dictu eſt, quantum ad res nitide pertractandas conferat Scholiorum uſus. Horum enim ope ea certe vitatur confuſio, quæ ex rebus diſſimilibus, ſi abſque ullo loci diſcrimine exponantur, neceſſario provenit.

REGULA XIV.

527. *Si quid occurrat, quod veritatem demonſtratæ propoſitionis labefactare aliquo modo poſſe videatur, diluendum eſt, antequam ad alias oſtendendas propoſitiones tranſitus fiat.* Demonſtratio quippe earum propoſitionum, quæ ſequuntur, nulla eſt, ſi de veritate illarum, quæ præcedunt, & principiorum inſtar deinceps ſunt adhibendæ, aliqua ingeri nobis poſſit dubitatio. Non enim licet, ut præclare monet Tacitus, *ulteriora moliri, prioribus non firmatis* (a). Hinc S. Auguſtinus *pertinet*, inquit, *ad docendi curam, non ſolum aperire clauſa, & nodos ſolvere quæſtionum, ſed etiam, dum de hoc agitur, aliis quæſtionibus, quæ fortaſſe inciderint, ne id, quod dicimus, improbetur per illas, aut refellatur, occurrere* (b). Unde concludit, utile quammaxime eſſe, *ut quidquid contradici poteſt, ſi occurrerit, refutetur, ne ibi occurrat, ubi non ſit, qui reſpondeat; aut præſenti quidem, ſed tacenti occurrat, & minus ſanatus abſcedat* (c).

(a) Apud Trajanum Boccalini. *Conſiderazioni politiche ſopra la vita di Giulio Agricola ſcritta da Cornelio Tacito.*

(b) Lib. IV. de *Doctrina Chriſtiana* n. 39. alias cap. 20.

(c) Ibidem.

Digitized by Google

REGULA X.

528. *Plurimum juvat; opiniones, ſi quæ ſint noſtræ aſſertioni contrariæ, antequam propria ſtabiliatur ſententia, nitide exponere, & ſolide refutare.* Quamvis enim facilius ſit, Tullio teſte (a), falſa convincere, quam vera invenire, inficiari tamen neminem poſſe arbitror, non parum luminis atque roboris ex oppoſitarum ſententiarum confutatione in eam, quam propugnare volumus, ſententiam provenire. Hac tamen in parte a ſcommatibus conviciiſque velim quammaxime caveamus. *Neſcio enim*, inquit doctiſſimus Muratorius, *quo pacto juſti ac prudentis nomen retinere poſſit, qui ita in hoſtem irruit, ut ſe quoque incaute lædat; adverſarii culpas tam effuſe perſequitur, ut ſe maledicum fieri, minime ſentiat, atque ita in aliis reparare vult veritatis jacturam, ut ipſe interim ad calumnias & convicia deſcendens, moderationem virilem atque chriſtianam in ſeipſo perdat......... Ab ingenioſe acuto quammaxime differt amarus atque maledicus ſtylus. Illo ſapiens quoque libentiſſime utatur, ab iſto vero temperet. Nam dum rationibus & argumentis dimicatur, jam in tuto eſt veritatis cauſa; neque interim adverſario, quantum in noſtra manu eſt, de nobis querendi ulla relinquitur juſta ratio* (b).

REGULA XVI.

529. *Digreſſiones fugiendæ.* Digreſſio quippe ita mentem a re, in qua verſamur, avertit & abſtrahit, ut cum ad illius calcem ventum fuerit, rem ipſam non amplius ſciat. *Fit*, inquit S. Auguſtinus, *ut dum incidentes quæſtiones, aliæ quæſtiones, & aliæ rurſus incidentibus incidentes pertractantur atque ſolvuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut, niſi memoria plurimum valeat atque vigeat, ad caput, unde agebatur, diſputator redire non poſſit* (c).

REGULA XVII.

530. *Vitetur prolixitas, tum in refutandis aliorum ſententiis, tum in congerendis diluendiſque objectis, tum in rationibus conglobandis, ſed ea brevitas ſemper ante oculos habeatur, quæ neque perſpicuitatem læde-*

(a) Lib. I. de *Natura Deorum* cap. 32.
(b) Lib. II de *Moderamine ingeniorum* cap. 3.
(c) Lib. IV. de *Doctrina Chriſtiana* n. 39. alias cap. 20.

lædere, neque veritati officere vel leviſſime poſſit. Quantum in quavis pertractanda diſciplina noceat nimia prolixitas, neminem fugit. Raro enim accidit, ut mens in iis verſetur attente, eaque idcirco clare, omnique ex parte percipiat, quæ nimis fuſe lateque explicantur. Hinc, *ſicuti gratus eſt, qui cognoſcenda enubilat, ita oneroſus eſt*, inquit S. Auguſtinus, *qui cognita inculcat* (a); nos quippe cogit, ut certo quodam modo fruſtra laboremus. Dixi autem, *vitandam ſemper eſſe nimiam prolixitatem*. Puto namque, non minus peccare, qui nimis prolixe rem agit, quam qui breviter adeo atque ſtricte ipſam pertractat, ut vel nullo modo, vel nonniſi improbo prorſus labore intelligi ea poſſint, quæ ab illo dicuntur. Profecto *quidam brevitatis æmuli*, ut notat Quintilianus, *neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt verba, & velut ſatis ſit, ſcire ipſos, quæ dicere velint, quantum ad alios pertineat, nihil putant; quinimo perſuaſit quidem jam multos iſta perſuaſio, ut ad id jam demum eleganter atque exquiſite dictum putent, quod interpretandum ſit* (b). Itaque *brevitatem cuſtodiendam eſſe confiteor, ſi cauſa permittat, alioquin prævaricatio eſt tranſire dicenda. Prævaricatio etiam, curſim, & breviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda* (c). Conſiderandum ſcilicet attente eſt, *ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur, ne quam in aliam rem tranſeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, ne quid, quod ad rem pertineat, prætereatur* (d).

REGULA XVIII.

531. *Rebus poſtremo ſtudendum magis eſt, quam verbis*. Videlicet in quavis tradenda diſciplina, liberalique arte petractanda, perſpicuitatis potius habenda ratio eſt, quam elegantiæ. *In ipſo ſermone*, inquit S. Auguſtinus, *malit* (Doctor) *rebus placere, quam verbis. Nec exiſtimet dici melius, niſi quod dicitur verius. Nec Doctor verbis ſerviat, ſed verba Doctori* (e). *Quid enim prodeſt*, eodem teſte, *loquutionis integritas, quam non ſequitur intellectus audientis; cum loquendi nulla omnino ſit cauſa, ſi, quæ loquimur, non intelligunt, propter quos, ut intelligant, loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba, quæ non docent. Et ſi pro eis alia integra, quæ intelligantur, poteſt dicere, id magis eligat. Si autem non poteſt, ſive quia non ſunt, ſive quia in præſentia non occurrunt, utatur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipſa doceatur, atque diſcatur integre* (f). Profecto & ipſe

(a) Lib. IV. de *Doctrina Chriſtiana* n. 25. alias cap. 10

(b) Lib. VIII. *Inſtit. Orator.* cap. 2

(c) C. Plinius Secundus lib. I. *Epiſt.* 20.

(d) Tullius lib. I. de *Inventione* cap. 20.

(e) Lib. IV. de *Doctrina Chriſtiana* n. 61. *alias* c. 28.

(f) Ibidem n. 24, *alias* cap. 10.

ipſemet ſummus Orator Tullius, a quo ſuum eloquentia, Quintiliano teſte (a), *faſtigium* accepit, conſectandam eam non eſſe ait, cum de iis rebus diſſeritur, *quibus ubertas orationis adhiberi vix poteſt* (b); ſed plurimum operæ curæque in eo a nobis eſſe ponendum, ut perſpicua cuique ſint, quæ dicimus. Inquit enim, *omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi præclare dici videtur. Iſtiuſmodi autem res dicere ornate velle, puerile eſt; plane autem & perſpicue expedire poſſe, docti & intelligentis viri* (c). Abſit tamen, ut eos hinc carpere velim, qui eximiam in eo operam collocant, *ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agatur, apte, congruenterque* loquantur (d). Arbitror quidem rebus potius ſtudendum eſſe, quam verbis. At *nemo ex corruptis dicat, me inimicum eſſe culte dicentibus* (e). *Magna profecto virtus eſt, res, de quibus loquimur, clare, atque, ut cerni videantur, enuntiare* (f). Verum ſimul *hanc perfectam Philoſophiam ſemper judicavi, quæ de maximis quæſtionibus copioſe poſſet ornateque dicere* (g); quinimo candide cum Tullio fateor, *mandare quemquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere poſſit, nec illuſtrare, nec delectatione aliqua lectorem allicere, hominis eſſe intemperanter abutentis otio & literis* (h) Itaque in pertractandis ingenuis artibus, doctrinisque tradendis, *genus dicendi eſt eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiunt, & quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet* (i). Videlicet *nobis prima virtus ſit perſpicuitas, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat. Ita ſermo & doctis probabilis, & planus imperitis erit* (k).

SECTIO TERTIA.

De methodo ſtudendi.

532. Methodum *ſtudendi* eam voco, qua ſtudia noſtra dirigenda ſunt, ut ex librorum lectione diſciplinam, quam cupimus, proprio etiam marte ædificamus. Profecto nonniſi defectu rectæ *methodi* factum arbitror, ut plerique, etſi ſtudio valde incumbant, ingenioque haud mediocri præditi ſint, parum in rerum ſcientia proficiant. Itaque

RE-

(a) Lib. X. *Inſtit. Oratoriar.* cap. 11.
(b) Lib. III. de *Finibus* cap. 5.
(c) Ibidem.
(d) Tullius lib. III. de *Orator.* cap. 10
(e) Quintilian. lib VIII. *Inſtit. Orator.* c. 3.
(f) Quintilian. *ibidem.*
(g) Tullius lib. I. *qq. Tuſcul.* cap. 4.
(h) Ibidem cap. 3.
(i) Tullius lib. III. de *Oratore* cap. 25.
(k) Quintil. lib. VIII. *Inſtit. Orator.* cap. 2.

Digitized by Google

REGULA I.

533. *Nulli diſciplinæ danda eſt opera, niſi prius mens noſtra iis omnibus, ſi quas habemus, opinionibus exuatur, quæ vel ex deteriorum librorum lectione, vel ex uſu vivendi cum populo temere arripuimus.* Hæ namque, cum falſæ ut plurimum ſint, impediunt, quominus veræ acquirantur. *Opinionibus* enim *vulgi*, inquit Tullius, *rapimur in errorem, nec vera cernimus* (a).

REGULA II.

534. *Seligendus eſt idoneus auctor, in quo ſtudioſe verſemur.* Explicari profecto vix poteſt, quantum ad diſciplinam perfecte addiſcendam lectio conferat Auctoris optimi. Cum enim præceptoris loco is nobis ſit, non minorem in Auctore, cui operam demus, quam in præceptore, a quo inſtruamur, ſeligendo, operam atque ſtudium collocemus oportet. Quoniam vero, etſi, ut de Oratoribus præclare advertit Quintilianus, *quoſdam etiam, quos totos imitari oporteat, & fuiſſe nuper, & nunc eſſe quidem, libenter non conceſſerim modo, verum etiam contenderim, hi tamen qui ſint, non cujuſque eſt pronunciare* (b). Quamobrem viri peritiſſimi conſulendi hac ſuper re ſunt, eorumque ſtandum judicio.

REGULA III.

535. *Non multa legenda, ſed multum*: ita ex vetuſtiſſimorum ſimul atque ſummorum Virorum ſententia C. Plinius ſecundus (c): & jure quidem. Neminem quippe ignorare puto, quantum tyronibus noceat librorum copia. *Eſto ſint optimi, ſint probatiſſimi omnes*, inquit Cl. Facciolatus, *ipſa enimvero multitudine ſua, copia ipſa rerum optimarum legenti nocebunt. Non ſatis eſt ad morbos vitandos comedere ſaluberrima, niſi opportune ac temperanter comedas. Porro ſicut inſitus ſtomacho ignis immodico cibo opprimitur, aut etiam extinguitur, ita ingenium nequit, ut ita dicam, nimis multa concoquere, ſed quaſi oppreſſum otiatur, vel cruda & ingeſta in malos humores convertit* (d). Quod ergo iis egregie præcipit Vir Cl., qui eloquentiæ dant operam, idipſum velim animo ſibi alte inſigant, qui alterius, quæcumque ea ſit, in-

(a) Lib. II. de *legibus* cap. 17.
(b) Lib. II. *Inſtit. Orator.* cap. 5.
(c) Lib. VII. *Epiſt.* 9.
(d) *Orat.* ad *Humanitatem*.

ingenuæ artis ſtudio cum profectu incumbere cupiunt. Paucis nimirum libris initio contenti ſint; at in eo ſint toti, ut, quod in uno legunt, probe percipiant. *Diu nonniſi optimus quiſque, & qui credentem ſibi minime fallat*, ſi Quintiliano credimus, *legendus eſt, ſed diligenter, ac pene ad ſcribendi ſolicitudinem; nec per partes modo ſcrutanda omnia, ſed perlectus liber utique ex integro reſumendus* (a). Qua porro ratione, ſive methodo lectionem perficere debeamus, quæ ſequuntur regulæ, palam efficiunt.

REGULA IV.

536. *Mente atque animo in id primo patienter inſiſtendum eſt, ut non ſolum clare percipiantur termini, qui ab Auctore adhibentur, verum etiam ut ſingulorum notio memoriæ diſtincte commendetur.* Cum enim nulla ſit ars, nullaque ſcientia, quæ ſuis in rebus explicandis, ac demonſtrandis, peculiares quoſdam terminos non adhibeat, nihil ferme eorum, quæ in ipſa arte, ſcientiaque traduntur, recte concipi a nobis poterit, niſi prius termini, quibus illa utitur, nobis nitide innotuerint. Memori porro animo horum notio mandanda eſt, ne ſcilicet, cum occurrerint, nobis aqua hæreat.

REGULA V.

537. *Perceptis terminis, danda eſt opera, ut animo id clare atque diſtincte complectamur, quod Auctor ipſe vel demonſtrandum aſſumit, vel oppugnandum aggreditur.* Niſi enim ad evidentiam illud nobis conſtiterit, judicare nunquam jure poterimus, an ea in diſquiſitione Auctor verum attingat, num vero ſuo ipſe judicio fallatur.

REGULA VI.

538. *Nitide cognito quæſtionis ſtatu, ea momenta aqua rationis lance libranda ſunt, attentoque animo expendenda, quibus ſuam Auctor ſententiam oſtendit; & quidem potiſſimum conſiderando principia, quibus demonſtratio quævis innititur.* Raro enim contra formam legitimæ argumentationis culpa committitur. Si quid peccatum in demonſtratione eſt, in ipſis totum latet principiis. Videlicet ſi quid eſt vitii, ex eo totum naſcitur, quod aliqua veluti plane certa aſſumantur, quæ penitius inſpecta, ne infimum quidem probabilitatis gradum revera attingunt. RE-

(a) Lib. X. *Inſtit. Oratoriar.* cap. 1.

Digitized by Google

REGULA VII.

539. *Cavendum, ne ad poſteriora progrediamur, niſi, quæ præcedunt, ſemel atque iterum diſcuſſa prius attente fuerint, ac pleniſſime percepta.* In omni enim diſciplina recte pertractata cum, quæ primo loco habentur, facem præbeant, ut poſteriora percipiantur, fieri nullatenus poteſt, ut poſteriora animum diſtincte ſubire queant, ſi nonniſi confuſe atque obſcure, quæ præcedunt, nobis innotuerint. Videant ergo, qui moræ impatientes, totam plane doctrinam in libro traditam, animo ſe hauſiſſe putant, cum ad libri calcem qualitercunque pervenerint. Hi certe ſunt, qui cum lapidem verberare ſe tandem conſpiciant, Auctorem criminantur, quod nimis obſcure ſcripſerit; nec raro, quod ne ipſe intellexerit quidem, quæ literis tradidit. Itaque ne vitio perperam Auctori vertatur, quod culpæ noſtræ eſt, pedetentim lectione noſtra progrediamur, ſimulque animo tamdiu in omnia inſiſtamus oportet, quouſque perſpecta nobis ſingula uerint & pleniſſime cognita.

REGULA VIII.

540. *Cavendum quoque, ne quid, quantumvis exigui momenti illud nobis videatur, prætermittamus.* Nihil eſt enim, quod, licet ſi in ſe ſpectetur, exigui plane ponderis appareat, plurimum tamen ad ſublimiora animo comprehendenda quandoque non conferat.

REGULA IX.

541. *Ut perfectior rei, cujus ſtudio incumbimus, obtineatur cognitio, vel quod in uno Auctore non ſatis clare mente complectimur, nitide cognoſcatur, plures ex iis Auctoribus conferendi inter ſe mutuo ſunt, qui eadem de re diſſerunt, eandemque ſententiam docent, atque propugnant.* Cum enim non omnes eodem ingenii acumine, eademque dicendi perſpicuitate donati ſint; neque omnes in ipſa re explicanda & demonſtranda eandem viam, methodumque ſequantur, ex plurium Auctorum comparatione inter ſe illud certe obtinebitur, ut perfectius cognoſcatur res, magiſque perſpicuum fiat, quid in toto doctrinæ ſyſtemate approbandum jure a nobis ſit, quidque reprobandum.

Regula X.

542. *Contrariæ tamen ſectæ factioniſve Auctores adeundi non ſunt, niſi prius integrum illius, in quod ſtudium curamque impendimus, nobis perfecte notum ſyſtema fuerit, nitideque perſpecta tum momenta, quibus innititur, tum principia, quæ Auctor ipſe tamquam certa aſſumit*. Etenim, ſi ſecus, tanta in nobis ex ipſa diſſentientium Auctorum lectione orietur confuſio, ut ne ipſi ſciamus amplius, quanam in re verſemur; tamque obſcurum involutumque id nobis fiet, de quo inter Auctores ipſos non convenit, ut plane nos lateat, quid quiſque ſentiat. Porro cum Auctores comparantur inter ſe, ut hinc veritas, quoad poteſt a nobis fieri, detegatur, ad ſingulorum potius momenta, quam ad eorum famam, animum attendere quammaxime debemus. Veritas enim publici juris eſt, eaque non minus in Auctore exigui nominis, quam in illo, qui præſtantioris habetur famæ, inveniri optime poteſt. Hinc Tullius, *ne temere*, inquit, *vel falſa rei, vel non ſatis cognitæ aſſentiamur, faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis Comparemus* (a).

Regula XI.

543. *Juvavit plurimum, cognitiones, quas ſtudio hauſimus, cum Viris doctis perſape conferre*. Compertum enim eſt, non ſolum perfectius mente comprehendi, animoque hærere altius, quæ cum aliis conferuntur, verum etiam plura ad rem eandem ſpectantia plerumque detegi, quæ hactenus a nemine excogitata fuere, ſtudioque reperta; quinimo plane falſa haud raro deprehendi non pauca, quæ antea pro certiſſimis habebantur. Recte proinde Tullius *alienum non eſſe putat, ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, &, quid his de unoquoque officii genere placeat, exquirere. Major enim pars eo fere deferri ſolet, quo a natura ipſa deducitur. In quibus videndum eſt, non modo quid quiſque loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat, atque etiam qua de cauſa quiſque ſentiat. Ut enim pictores, & ii, qui ſigna fabricantur, & vero etiam poetæ, ſuum quiſque opus a vulgo conſiderari vult, ut ſi quid reprehenſum ſit a pluribus, id corrigatur, hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt, ſic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt* (b).

Re-

(a) Lib. I. de *Divinatione* cap. 1.

(b) Lib. I. de *Officiis* cap. 52.

Regula XII.

544. *Utile demum quammaxime eſt, in tabulas referre, quidquid ſtudio in diem acquirimus, eaque deinde inter ſe comparare, pacatoque animo perpendere.* Neminem quippe fugit, cum rerum earum duplicatur iteraturque lectio, quas ſtudio invenimus ipſi, conſtare facile, ſi quid in illis obſcurum involutumque eſt; apertum fieri, ſi quid falſi incaute irrepſerit; ſimulque plura, quæ, etſi præſtantiſſima, maximeque utilia, nemo hactenus ne ſomniavit quidem, nobis ſumma cum voluptate in mentem perſæpe venire(*). *Ego ipſe multa, quæ neſciebam*, inquit S. Auguſtinus, *ſcribendo, me didiciſſe confiteor* (a), ut proinde, *qui parcit calamo, ingenio parcere* merito optimoque jure vulgo dicatur. Accedit, miram hinc facilitatem, cogitationes noſtras non perſpicue ſolum, verum etiam ornate, polite, copioſeque exprimendi, ſenſim in nos derivari. Hæc enim non aſſiduo meditandi labore, atque ſtudio, ſed longa ſcribendi exercitatione, uſuque dicendi obtinetur, & obtenta perficitur. *Nulla res tantum ad dicendum profuit*, inquit Oratorum princeps Tullius, *quantum ſcriptio* (b); *neque injuria. Nam ſi ſubitam & fortuitam orationem commentatio & cogitatio facile vincit, hanc ipſam profecto aſſidua ac diligens ſcriptura ſuperabit. Omnes enim ſive artis ſunt loci, ſive ingenii cujuſdam atque prudentiæ, qui modo inſunt in ea re, de qua ſcribimus, inquirentibus nobis, omnique acie ingenii contemplantibus, oſtendunt ſe & occurrunt; omneſque ſententiæ, verbaque omnia, quæ ſunt cujuſque generis maxime illuſtria, ſub acumen ſtyli ſubeant, & ſuccedant neceſſe eſt. Tum ipſa collocatio, conformatioque verborum perficitur in ſcribendo, non poetico, ſed quodam oratorio numero & modo. Hæc ſunt, quæ clamores, & admirationes in bonis oratoribus efficiunt. Neque ea quiſquam, niſi diu multumque ſcriptitarit, etiamſi vehementiſſime ſe in his ſubitis dictionibus exercuerit, conſequetur; & qui a ſcribendi conſuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam ſubito ſi dicat, tamen illa, quæ dicantur, ſimilia ſcriptorum eſſe videantur; atque etiam, ſi quando in dicendo ſcriptum attulerit aliquid, cum ab eo diſceſſerit, reliqua ſimilis oratio conſequetur. Ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum,*

(*) Nam ingenio quoque, ſicut in agro, quamquam alia diu ſerantur & elaborentur, gratiora tamen ſunt, quæ ſua ſponte naſcuntur. *Quintilianus in Dialogo de Oratoribus, qui* Cornelio Tacito *vulgo inſcribitur.*

(a) In Prolog. lib. II. de *Trinitate*.

(b) In *Bruto* cap. 24.

ſuum, intermiſſo impetu pulſuque remorum, ſic in oratione perpetua, cum ſcripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua curſum, ſcriptorum ſimilitudine & vi concitata (a).

SECTIO QUARTA.

De methodo diſputandi.

545. Omnis diſputatio inter duos peragitur, quorum alter, qui *defendens* propterea dici ſolet, theſim tuetur, in qua diſceptando verſamur, alter eam oppugnat, nititurque convellere, unde *opponens* vocatur. Utilitas diſputationis, ſive privata ea ſit, ſive publica, mira prorſus eſt, ac plane eximia. *Languorem enim privatæ meditationis*, inquit Vir Cl., *utraque diſceptatio ſupplet; promptam cum ad cogitandum, tum ad eloquendum facultatem conciliat; acuit ingenium, & judicium in veri a falſo diſcrimine roborat, dum talibus in exercitiis objecta ab omni parte verſantur, occaſioneſque præbentur eorum excogitandorum, quæ alias in mente forte nunquam veniſſent.* Fatendum tamen cum eodem Viro doctiſſimo, nihil quoque eſſe diſputatione pernicioſius, ſi ea abutamur. *Diſputandi ſiquidem habitu*, inquit ille, & recte quidem, *evadunt plerique impudenter audaces, faſtidioſe ſuperbi, moleſte garruli, pertinaci contradicendi ſtudio intolerabiles. Excitat diſputatio affectus æmulationis, pudoris, iræ nonnunquam; a ſedato ſtatu, qui ad veritatem contemplandam adeo neceſſarius eſt, mentem abducit; unde diſputatione ſæpius obſcuratur veritas, quam illuſtratur. Adde, frequentibus ejuſmodi exercitiis mentem humanam ſenſim ad inſtabilem, eandemque perpetuam dubitandi ac fluctuandi rationem ita diſponi, ut varitatis indagatores pauci, oppugnatores multi reperiantur; ſintque plurimi, qui ne quidem expectant, donec ſententiam abſolveris, ut ad eam impugnandam argumenta quærant; unde in difficultates unice converſi, lucem contemplari tandem dediſcunt* (b). Ne in damnum itaque nobis vertatur, quod ad profectum inſtitutum eſt, optimæ diſceptationis regulas hoc loco paucis exhibemus.

Regulæ generalis diſputationis.

REGULA I.

546. *In omni diſputatione illud nobis cordi unice eſſe debet, ſemperque*

(a) Lib. I. *de Oratore* cap. 33.

(b) Petrus de Croſa P. IV. *Logicæ* cap. 10.

quæ ante oculos habeamus oportet, ut diſceptationis ope, vel quod latet, manifeſtum fiat, vel quod obſcurum involutumque eſt, in aperto ponatur. Id certe ſi erit noſtrarum diſceptationum finis, nunquam ſine fructu diſputabimus. *Qui diſputat*, inquit S. Auguſtinus, *verum diſcernit a falſo. Quod qui non poſſunt, & tamen dialectici videri volunt, per inſidioſas interrogationes captant incautorum aſſenſiones, ut ex eorum reſponſionibus concludant, unde illos vel in aperta falſitate deceptos rideant, vel occultam falſitatem deceptis perſuadeant, quam plerumque etiam ipſi exiſtimant veritatem. Qui autem verus diſputator eſt, ideſt veritatis a falſitate diſcretor, primo id apud ſemetipſum agit, ne non recte diſcernens ipſe fallatur (quod, niſi divinitus adjutus, peragere non poteſt) deinde cum id, quod apud ſe egit, ad alios docendos profert, intuetur primitus, quid jam certi noverint, ut ex his eos adducat ad ea, quæ non noverant, vel credere nolebant, oſtendens ea conſequentia iis, quæ jam ſcientia, vel fide retinebant, ut per ea vera, de quibus ſe perſpiciunt conſentire, cogantur alia vera, quæ negaverant, approbare, & ſic verum, quod falſum antea putabatur, diſcernatur a falſo; cum invenitur conſentaneum illi vero, quod jam antea tenebatur* (a).

REGULA III.

547. *Nulla iis de rebus inſtituenda diſceptatio eſt, quæ vel ſunt certiſſima, vel humanum captum plane ſuperant.* Quæ namque certiſſima ſunt, perperam in controverſiam vocantur. Quæ vero haud poſſunt mente comprehendi, fruſtra a nobis diſputando inquiruntur. Hinc S. Auguſtinus, *ubi*, inquit, *de re obſcuriſſima diſputatur, non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens, partem alteram declinando*(b). Neque enim, eodem teſte, parvus fructus exiſtimandus eſt, *ſi obſcura aliqua & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum ſaltem, certumque nobis ſit, non eſſe quærenda; & quod unuſquiſque vult diſcere, putans prodeſſe, ſi ſciat, diſcat non obeſſe, ſi neſciat* (c).

REGULA II.

548 *Caveamus quoque oportet, ne cum iis diſceptemus, qui adeo de rebus omnibus dubitant, ut illud tantum ſibi certum ſit, ſe nihil ſcire.* Rem enim cum iis agere perinde eſt omnino, ac lapidem verberare. Ni-

(a) Lib. I. *contra Creſconium* n. 19. *alias* c. 15.
(b) Lib. II. *de peccatorum meritis* n. 59. *alias* c. 36.
(c) Lib. *de cura pro mortuis* n. 21. *alias* c. 17.

Digitized by Google

Nihil quippe determinabitur unquam; cum nihil ab iis detur, quo pedem figere valeamus. Hujuſcemodi ergo oppugnatori, ſi occurrerit, ſatius eſt, ut præclare olim monebat Evenus, antiquum illum ſermonem reſpondere: HÆC MIHI VIDENTUR; ILLA VERO TIBI (a).

REGULA IV.

549. *Antequam diſputationem aggrediamur, id breviter nitideque exponendum eſt, in quo volumus diſceptando verſari.* Enimvero, ſi Tullio credimus, *niſi inter eos, qui diſceptant, convenit, quid ſit illud, de quo ambigitur, nec recte diſſeri, nec unquam ad exitum perveniri poteſt* (b): & jure quidem. Nam, ut egregie advertit Quintilianus, *non prius contingere curſus poteſt, quam ſcierimus, quo ſit, & qua perveniendum* (c). Hinc quammaxime curemus oportet, ut in explicando quæſtionis ſtatu *verbis utamur quamuſitatiſſimis, & quammaxime aptis, ideſt rem declarantibus* (d).

REGULA V.

550. *Inutiles digreſſiones vitentur.* Hæ namque cum mentem a quæſtionis ſcopo abducant, in infinitum abibit diſcepatio, quin id determinari unquam poſſit, quod in ipſa diſputatione, ut definiretur, aſſumtum fuerat diſcutiendum.

REGULA VI.

551. *Cavendum, ne, cum de re conſtat, laboremus de nomine.* Quippe, ut egregie monet S. Auguſtinus, *turpe eſt diſputantibus in verbi quæſtione immorari, cum certamen nullum de rebus remanſerit* (e). Et alio loco, *docuit me*, inquit, *Dialectica, cum de re conſtat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendi. Et quiſquis id faciat, ſi imperitia faciat, docendum eſſe; ſi malitia, deſerendum. Si doceri non poteſt, monendum, ut aliquid aliud potius agat, quam tempus in ſuperfluis, operamque conſumat; ſi non obtemperet, negligendum* (f).

RE-

(a) Ex Euripide in Antiope apud Stobæum. *Serm.* LXXXII.
(b) Lib. qui *Orator* inſcribitur, cap. 33.
(c) Lib. X. *Inſtit. Orator.* cap. 7.
(d) Tullius lib. IV. *de Finibus* cap. 20.
(e) Lib. II. *contra Academ.* n. 25. *alias* c. 11.
(f) Lib. III. *contra eoſdem* n. 29. *alias* c. 13.

Digitized by Google

REGULA VII.

552. *Diſputantes poſtremo ſint in colloquio mites, in audiendo quieti, in docendo officioſi, in reſpondendo blandi.* Sicuti namque ad excitandos inordinatos animi motus, nihil aptius eſt, quam immodeſti clamores, ita nihil magis impedit, quominus veritas in diſceptatione detegatur. *In collatione itaque diſputationis hoc cavendum eſt*, inquit S. Auguſtinus, *ne prorumpatur in litem*: quod certe, ſi eidem credimus, *caveri a modeſtis ac mitibus & poteſt & ſolet* (a). Utque ſapienter olim monebat Antiſthenes: *contradicentem docere oportet, non contradicendo compeſcere. Nam neque inſano, ſi viciſſim inſaniat, aliquis medebitur* (b).

Regulæ diſputationis pro defendente.

REGULA I.

553. *Defendens perhonorifice ſemper opponentem excipiat, ejuſque argumenta fideliter repetat, & quidem, quoad poteſt ab eo fieri, iiſdem verbis, quibus ea ille confecerat.* Id enim candidi animi indicium eſt; neque raro ab onere iterum conficiendi argumentum tunc opponens eximitur. Perſæpe namque accidit, ut argumenti verba mutare defendens non poſſit, aliamque formam illi tribuere, quin aut illius vim roburque minuat, aut ſenſum perturbet.

REGULA II.

554. *Argumenti repetitione completa, in forma, ut ajunt Scholæ, reſpondeat, concedendo ſcilicet, quod verum eſſe deprehendit; ambigua, ſi qua ſint, diſtinguendo; modeſte vero negando, quæ veritati conſentanea ſibi haudquaquam videntur.* Hac enim ratione apertum paulatim fiet, quod in abdito deliteſcit; idque conſtabit, quod, ut inveniretur, in controverſiam vocatum initio fuerat.

REGULA III.

555. *Caveat defendens, ne quid veluti certum, aut ſibi conceſſum, adverſarius aſſumat, quod neque vere datum illi fuerit, neque jure poſſit* pro

(a) Lib. IV. *contra Creſconium* n. 3. *alias* c. 3. (b) Apud Stobæum. *Serm.* LXXXII.

pro certo haberi. Licitum quippe defendenti non eſt, vocare in dubium, multoque minus negare, quod ſemel, etiam incaute, opponenti conceſſit. Optarem tamen, ut omnes illud animo ſibi alte infigerent, quod hac ſuper re præclare monet S. Auguſtinus. Quærens namque, *liceat ne, quæ temere conceſſa ſunt, rurſum redire? Hoc*, reſpondet, *non ſolent concedere illi, quos ad diſputandum non inveniendi veri cupiditas, ſed ingenii puerilis jactantia impellit. Itaque apud me, præſertim cum adhuc nutriendi educandique ſitis, non ſolum conceditur, ſed etiam in præceptis habeatis volo, ad ea vos diſcutienda redire oportere, quæ conceſſeritis incautius* (a).

REGULA IV.

556. *Animum quoque ad terminos omnes, qui ab opponente adhibentur, attendat defendens, eique nullum permittat, qui ſibi vel obſcurus ſit, vel ambiguus videatur. Si quis proinde hujuſcemodi occurrerit, modeſte petat, ut explicetur*. Concipi enim vix ac ne vix quidem poteſt, quot lites, quotque diſſidia, ſola unius etiam termini definitione, plerumque dirimantur.

Regulæ diſputationis pro opponente.

REGULA I.

557. *Opponens directe probet, quod ſibi a defendente negatum eſt*. In hoc enim, ut patet, opponentis munus conſiſtit.

REGULA II.

558. *Caveat, ne medium mutet, quod primo ad theſim impugnandam aſſumptum ab eo fuerat*. Mutare ſiquidem *medium* nequit opponens, quin propriæ famæ multum detrahat. Hinc enim jure infertur, aut *medium*, quod primo aſſumpſerat, ipſiuſmet etiam opponentis judicio, nullius roboris eſſe, atque adeo minime dignum, ut a Viro docto aſſumeretur; aut nonniſi leviter verſarum ipſum eſſe in re, de qua diſceptatur; aut demum leges optimæ argumentationis ab eo penitus ignorari; quæque proinde ſui muneris ſunt, ipſum neſcire.

RE-

(a) Lib. 1. *contra Academicos* n. 8. *alias* cap. 3.

Digitized by Google

REGULA III.

559. Hinc *animadvertat oportet, ne conſequens potius, quam conſequentiam probet*. Argumentationis ſiquidem *medium* hoc ipſo mutatur. Cum enim *illatio* ſit aliud ab eo, quod deductum eſt, non eodem certe *medio*, quo oſtenditur *conſequens*, poteſt *illatio* ipſa demonſtrari.

REGULA IV.

560. *Nihil, veluti certum, aſſumendum ab opponente eſt, quod a defendente negari jure poſſit, vel in dubium verti*. Obmuteſcere quippe cogetur opponens, ſi hujuſcemodi principium ei minime a defendente permittatur. Neque enim illud poteſt oſtendere, quin extra chorum ſaltet, atque adeo quin *medium* mutet.

REGULA V.

561. *Soluto objectæ difficultatis nodo, ſatius eſt quieſcere, quam aut aliud medium aſſumere, aut optimam ſolutionem niti futiliter labefactare*. Suo enim fine tunc fruſtratur diſceptatio; neque opponens ſuadere unquam poterit, non invida contradicendi libidine, ſed inquirendæ dumtaxat veritatis ſtudio in arenam deſcendiſſe. Nemo porro turpe ducat, vel eminus conſpecta veritate, arma deponere. Ingenui enim cordatique viri id argumento eſt; utque optime advertit S. Auguſtinus, *non bonum hominis eſt hominem vincere, ſed bonum eſt homini, ut eum veritas vincat volentem; quia malum eſt homini, ut eum veritas vincat invitum. Nam, ut ipſa vincat, neceſſe eſt, ſive negantem, ſive confitentem* (a). Neque *parum in Philoſophia profectum* arbitratur idem S. Doctor, *cum in comparatione recti verique inveniendi contemnitur a diſputante victoria* (b). Velim proinde alta cuique mente repoſitum, quod ſibi monebat incertus Auctor apud Stobæum. *Vincam victoria*, dicebat ille, *quæ nec mihi, nec contra diſceptanti noxia ſit. Contendere intempeſtive cum amicis, & in diſputationibus, prudens caveam. Caveam, ne contra quam ſentiam, in diſputationibus, ſtudio vincendi, contentionem foveam amplexerque; & ne quando cum jactura veritatis, etiam ſecus quam ipſe credam in animo, falſa argumentatione* deci-

(a) Epiſt. 238. *alias* 174.
(b) Lib. I. *contra Academ.* n. 8. *alias* cap. 3.

decipiam contra diſputantem , aut ſaltem ad contendendum extimuler Veritatem illuſtrantibus dictis ſemper ſocius defenſorque ſim (a).

REGULA VI.

562. *Tandem ſi opponens victoriam in ſe inclinare ſenſerit, argumenti vim intelligentibus ſe aperuiſſe contentus, finem diſputationi imponat, haudquaquam ſcilicet a defendente importune poſtulando, ut propoſitæ difficultati plane ſatisfaciat*. Hinc quippe certo fiet, inquit Vir Cl., *ut modeſtia opponentis delinitus reſpondens, ab errore deduci ſe patiatur, quem obſtinate defenderet, odio atque pudore a vero contemplando alienatus* (b). *Vix enim*, ſi S. Auguſtino credimus, *quiſquam invenitur, quem non pudeat convinci diſputantem, eoque pene ſemper evenit, ut rem bene inductam ad diſcutiendum, inconditus pervicaciæ clamor explodat, etiam cum laceratione animorum plerumque diſſimulata, interdum & aperta* (c).

(a) Serm. I.
(b) Petrus de Croſa P. IV. *Logica* cap. 10.
(c) Lib. II. *Soliloq.* cap. 7.

LOGICAE FINIS.

Digitized by Google

EXERCITATIONES SCHOLASTICAE *IN* LOGICAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM AD LECTOREM.

NE quis arbitretur, me Recentioribus adeo addictum eſſe, ut commendatione dignum, & utilitate præſtans illud tantummodo putem, quod vel nuper inventum eſt, vel etiam ab iiſdem adoptatum, diſceptationes aliquas ex iis ſelectas, quæ tradi in Logica a Rigido-Peripateticis ſolent, hoc loco exhibere opportunum cenſui. Non enim ego is ſum, qui, nullo penitus diſcrimine poſito, omnes hujuſmodi diſputationes negligendas velim. Suam enim & ipſæ utilitatem habent, utpote ad ingenium acuendum apprime idoneæ, atque ad juvenes exercendos accommodatiſſimæ. Nimia dumtaxat earum copia illud eſt, quod probare haud poſſum. *Nos quoque*, ut doctiſſimi Melchioris Cani verbis utar, *ſophiſtæ fuimus aliquando. Sed obſecro, ita utilia habeantur iſta, non ut ornamenta virorum, ſed ut exercitamenta puerorum; atque vel ipſi pueri intelligant, ſophiſmatum brevem quemdam ludum eſſe oportere, aliumque uſum a Dialectica requirendum* (a). Curandum itaque eſt, ut in harum exercitationum numero, atque pondere certa ratio moderatioque ſervetur, ne ſcilicet, quemadmodum præclare hac ipſa ſuper re olim etiam monuerat Ariſto (b), *propter exiguum alimentum circa cruſtas plurimas*, non ſecus ac qui cancros edunt, occupemur.

(a) Lib. IX. *de locis Theol.* cap. 1.
(b) Apud Stobæum. *Serm.* LXXXII.

EXERCITATIO I.

De Logicæ natura, atque objecto.

TRia hoc loco expendenda ſunt, atque Scholarum more diſcutienda. Primum eſt, *an Logica ſit Scientia*. Secundum, *ſitne facultas practica, num vero theoretica*. Poſtremum, *quodnam ſit illius objectum*.

ARTICULUS I.

Expenditur finis Logicæ.

AB eo, quod ultimo loco explicandum nonnemini fortaſſe videbitur, ſcilicet a Logicæ *fine*, initium ſumimus. Hoc enim cognito, facilius, ut patebit, Logicæ natura perſpecta fiet, ejuſque objectum clarius definietur.

DEFINITIO I.

Finis, ſi nominis ratio habeatur, idem eſt ac *meta*, ſive *terminus*. Definitur autem id, *cujus gratia aliquid fit* (a). Hinc, obtento fine, motus quilibet ceſſare dicitur; cum fieri haud poſſit, ut, quod in termino eſt, ulterius progrediatur. Dividitur porro *finis* primo in *intrinſecum*, & *extrinſecum*, ſive in *finem operis*, & in *finem operantis*. Secundo in *primum*, ſive *immediatum*, & in *remotum*, ſeu *mediatum*.

DEFINITIO II.

Finis intrinſecus, ſive *operis*, eſt id, in quod opus ipſum natura ſua tendit. *Finis* vero *extrinſecus*, ſive *operantis*, eſt id, in quod ſuum ab operante opus dirigitur, ſeu, ut ait S. Auguſtinus, *propter quod facimus, quidquid facimus* (b). Sic *finis intrinſecus* circulationis ſanguinis in animalibus eſt illorum vita, eo enim ex ſe reſpicit ſanguinis circulatio, ut animal vivat. Sanitas vero eſt *finis extrinſecus* Medicinæ. Illud enim ipſa eſt, quod ad pharmacum ſumendum ægrotantem excitat, allicit, atque determinat.

DE-

(a) Ariſtoteles lib. II. *Phyſic.* cap. 3.
(b) Lib. I. *de moribus Manichæorum* n. 27. *alias* cap. 14.

Digitized by Google

DEFINITIO III.

Finis proximus eſt id, in quod opus immediate dirigitur. Sic ſanitas eſt *finis proximus* ægri ſumentis pharmacum. Æger quippe ob id immediate Medicinam ſumit, ut ſibi periclitanti conſulat. *Finis* vero *mediatus*, ſive *remotus*, dicitur id, in quod diriguntur omnia, quæ fiunt, quin ipſum ad alia referatur. Sic lucrum eſt *finis remotus* Medici, pharmacum ægro præbentis; quia, etſi ægrotantis ſanitatem animo intendat, eamque velit & optet, hoc tamen non eſt ut plurimum, niſi propter lucrum, quod inde ſperat, & ultimo reſpicit.

PROPOSITIO I.

Finis intrinſecus, & quidem immediatus, Logicæ eſt humanam mentem ad verum inveniendum idoneam reddere, eamque perficere, ut recte operetur.

Probatur. Vulgaris opinio eſt, omnium tam veterum, quam recentiorum Philoſophorum firmata conſenſu, Logicam ex ſe, ſive natura ſua, eo immediate reſpicere, ut humana mens, ipſa mediante, recte percipiat, ſine errore de rebus judicet, optime ratiocinetur, ſuaſque cogitationes, tum ad latentem inveſtigandam veritatem, tum ad eam in aperto jam poſitam aliis demonſtrandam, recte diſponat, ordinateque diſtribuat; ut proinde jure dixerit Angelicus Doctor, ope Logicæ, ordinem ab intellectu fieri in proprio actu, quemadmodum per Ethicam idipſum fit in actibus voluntatis (a). Ergo *finis intrinſecus*, & quidem *immediatus*, Logicæ eſt humanam mentem ad verum inveniendum demonſtrandumque idoneam facere, eam ordinare, certoque modo dirigere.

PROPOSITIO II.

Finis Logicæ intrinſecus, ſed mediatus, ſive ultimus, eſt perfecta rerum cognitio, ſive ipſa veri inventio.

Probatur. Cum enim ob id potiſſimum indita nobis a natura ſit intelligendi facultas, ut verum inveſtigaremus, inveſtigando cogno-ſce-

(a) In proemio *Ethicæ*.

ſceremus (*), & cognoſcendo frueremur (**), eo ex lege naturæ ultimo reſpicit Logica, ut humana mens perfectam rerum omnium ſcientiam obtineat; atque hinc, quoad homini licet, ad Dei cognitionem aſcendat. Ergo *finis intrinſecus ultimus* Logicæ eſt ipſa veri inventio. Hinc S. Auguſtinus pluribus probat, Logicam eſſe *ſcientiarum formatricem*, atque *judicem* (a), *omniumque diſciplinarum diſciplinam* eam vocat, quatenus nempe *hæc docet diſcere, hæc docet docere. In hac ſeipſam ratio demonſtrat, atque aperit, quæ ſit, quid velit, quid valeat. Scit ſcire, ſola ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt* (b).

PROPOSITIO III.

Finis extrinſecus Logicæ eſt ſcientiarum acquiſitio.

Probatur. Compertum eſt enim, neminem Logicæ ſtudio incumbere, niſi ut in aliis deinde diſciplinis addiſcendis operam cum fructu collocet, eaſque, illius ope, acquirat. *Non curo*, inquit S. Auguſtinus, *utrum diſciplina diſputandi* Dialectica *vocetur; curo tamen, quantum valeo, noſſe, ac poſſe diſputare, hoc eſt, veritatem a falſitate, loquendo, diſcernere; quia hoc niſi curavero, pernicioſe errabo* (c). Ergo &c.

COROLLARIUM.

Finis ergo Logicæ *extrinſecus* cum *mediato* ejuſdem *intrinſeco fine* plane coincidit. Patet manifeſte ex iis, quæ de utroque fine dicta ſunt ſuperiori loco.

AR-

(a) Lib. III. de *Academicis* nu. 29. alias cap. 13.

(b) Lib. II. *de Ordine* n. 38. alias cap. 13.

(c) Lib. II. *contra Creſconium* cap. 2.

(*) Curioſum nobis natura ingenium dedit, & artis ſibi ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos tantis ſpectaculis genuit, ut per hæc, quæ obtulerat oculis, cupiditatem faceret etiam ceterorum. *Seneca* de *otio Sap.* cap. 32.

(**) Eſt animorum ingeniorumque naturale quoddam quaſi pabulum conſideratio contemplatioque naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur, humana deſpicimus, cogitanteſque ſupera atque celeſtia, hæc noſtra, ut exigua & minima, contemnimus. Indagatio ipſa rerum, tum maximarum, tum etiam occultiſſimarum habet oblectationem. Si vero aliquid occurret, quod veriſimile videatur, humaniſſima completur animus voluptate. *Cicero* lib. IV. *qq. Academ.* cap. 41.

ARTICULUS II.

An Logica ſit ſcientia.

DEFINITIO I.

Nomine *ſcientiæ* eam facultatem hoc loco intelligo, quæ in rei conſideratione ita verſatur, ut omnia, vel ferme omnia, quæ ea ipſa de re tradit, ex certis evidentiſſimiſque principiis colligat, nitideque demonſtret. Dixi: *ferme omnia*. Non enim neceſſe arbitror, ut quidquid in illa traditur, demonſtratione oſtendatur; alioquin plurimæ facultates, quæ vulgo *ſcientiæ* dicuntur, haud eſſent tanto nomine dignæ; cum, ſi Geometriam, & Arithmeticam excipias, nulla ferme ſit, quæ probabilia plura non contineat.

DEFINITIO II.

Ars, prout *ſcientiæ* opponitur, definiri vulgo ſolet: *habitus cum recta ratione factivus*; nempe facultas, quæ certis quibuſdam regulis potentiam dirigit ad opus aliquod in externa materia conficiendum. *Etenim ſemper illud extra eſt*, inquit Tullius, *quod arte comprehenditur. Nihil opus eſt exemplis hoc facere longius. Eſt enim perſpicuum, nullam artem in ſe verſari, ſed eſſe aliud artem ipſam, aliud, quod propoſitum ſit arti* (a). *Artem* itaque hoc loco ſumimus proprie, & in rigore, nimirum prout ab ea etiam facultate diſtinguitur, quæ *ſcientia practica* nuncupatur.

PROPOSITIO UNICA.

Logicæ non eſt ars, ſed vere & proprie ſcientia.

Primam aſſertionis partem ex iis, quæ de *Logicæ fine* ſuperiori loco diximus, adeo aperte conſtare puto, ut fruſtraneum omnino ſit, in ea demonſtranda operam aliquam curamque collocare. Pars vero altera ſic oſtenditur. Ea ferme omnia, quæ in Logica traduntur, præcepta ſcilicet atque regulæ, quibus in vero recte cognoſcendo, ordinateque explicando mens noſtra dirigitur, ex certis, evidentiſſimiſque principiis deducuntur, & demonſtrantur. Ergo Logica eſt vere & proprie ſcientia.

Objecta

(a) Lib. V. *de Finibus* cap. 6.

Objecta diluuntur.

Contra arguitur primo. Ariſtoteles aperte docet, Logicam non eſſe ſcientiam. Ergo Logica non eſt ſcientia. *Prob. añs.* Etenim *lib.* II. *Metaph.*, abſurdum eſſe ait, quærere ſimul *ſcientiam*, & *modum ſciendi*, nempe Logicam, ut explicat Commentator; & *lib.* I. *Ethicæ cap.* 3., ſicuti etiam *lib.* I. *Rethoricæ cap.* 4., *Rethorica*, atque *Dialectica* naturam ab iis interimi arbitratur, qui eas, non tamquam *facultates*, ſive *artes* ſumunt, ſed inter *ſcientias* numerant. Ergo &c.

℞. *neg. añs*; ejus vero probationis *conceſſo ante*, *nego conſeq.* Non enim ex iis, quæ allata ſunt, ſequitur, Logicam, Ariſtotelis ſententia, inter *ſcientias* jure collocari non poſſe. Enimvero, cum ait, abſurdum eſſe, *ſcientiam* ſimul quærere, & *modum ſciendi*, non loquitur de *ſcientia* generatim ſumta, ſed de iis tantum diſciplinis, quæ *reales ſcientiæ* dicuntur, nimirum de *Phyſica*, *Metaphyſica*, & *Mathematica*. Abſurdum nimirum putat, velle in iis verſari, antequam Logica obtenta fuerit; cum hæc illarum organum ſit, atque janua. Ecquis enim ignorat, fieri non poſſe, ut perfecta rerum cognitio acquiratur, ſi, qua via, atque ratione verum inquirendum ſit, nos prorſus lateat? *Pulcher ſane atque divinus*, inquit Parmenides, Socratem alloquens, *mihi crede*, *eſt impetus iſte tuus*, *qui ad rationes ſe fert*. *Ceterum collige teipſum*, *diligentiuſque te in ea facultate* (Logica) *exerce*, *quæ inutilis eſſe videtur multis*, *& quadam garrulitas nuncupatur*, *dum juvenis es*; *alioquin te veritas fugiet* (a). Illud quoque damus, haud recte eos de Logicæ natura ſentire, qui, non ut *practicam facultatem*, ſed ut *theoreticam ſcientiam* illam ſumunt. Interempta ſiquidem hoc ipſo Logicæ natura eſt; cum non amplius in mentis directione, ne *cui falſo aſſentiamur*, *neve unquam captioſa probabilitate fallamur* (b), verſari ipſa ponatur. Hoc unum eſt igitur, quod eo loci docet Ariſtoteles; atque adeo nihil colligi hinc jure ac merito poteſt, quod nobis officiat.

Arguitur 2. De ſyllogiſmo non poteſt haberi ſcientia. Ergo Logica non eſt ſcientia. *Conſeq.* eſt evidens. *Prob. añs*: ſcientia non habetur, niſi ope ſyllogiſmi. Sed de ſyllogiſmo non poteſt haberi ſcientia per ſyllogiſmum. Ergo &c. *Prob. min.* Daretur enim proceſſus in infinitum; quippe ſemper poſſet quæri, quinam ſit ille ſyllogiſmus, per quem ſcientia de illo ſyllogiſmo acquiritur, cujus ope, alterius ſyllogiſmi ſcientia obinetur; atque ita de ceteris. Ergo &c.

℞.

(a) Socrates *in Parmenide*.

(b) Tullius lib. III. *de Finibus* cap. 21.

℞. *diſting. ans*: non poteſt dari ſcientia de ſyllogiſmo, hoc eſt, de regulis, quas Logica præſcribit, ut mens recte ratiocinetur, *neg° ans*. Non poteſt dari ſcientia de ſyllogiſmo, ſcilicet de operatione mentis diſcurſiva, *omitto ans*, & *nego conſeq.* Datur itaque ſcientia de regulis argumentandi. Quandoquidem evidens eſt, eas omnes ex certis, evidentiſſimiſque principiis deduci, & manifeſte oſtendi. Miſſum porro feci, non dari ſcientiam de operatione mentis diſcurſiva; quippe, deturne ſcientia de hujuſcemodi operatione, an non, ad rem non pertinet. Non enim Logica per ſe agit de operationibus mentis, ſed de regulis, quibus illæ diriguntur, ut plenius infra explicabitur; ac proinde licet de ipſis operationibus non daretur ſcientia, non propterea Logica ſcientia eſſe deſineret; cum adhuc ratum fixumque ſit, Logicam in regulis cogitandi poſſe demonſtrative verſari. Ceterum, ne quid vel minimum hac ſuper re prætermittatur, contendo, etiam de ipſa diſcurſiva mentis operatione ſcientiam haberi optime poſſe, videlicet poſſe ad evidentiam oſtendi, eam eſſe optimam, recteque concludere. Res illuſtratur exemplo. Quæſtio ſit de hoc ſyllogiſmo, an ſit legitimus: *omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis. Anima rationalis eſt ſubſtantia ſpiritualis. Ergo eſt immortalis.* Itaque argumentor hoc modo: *ſyllogiſmus optimus eſt, legitimeque concludit, qui ſervat regulas optimæ argumentationis. Hic autem ſervat regulas optimæ argumentationis. Ergo eſt optimus.* Prob. min. *Nam major propoſitio concluſionem continet. Minor vero palam efficit, concluſionem ipſam in majore contineri. Id autem totum illud eſt, quod ad optimum ſyllogiſmum requiritur. Ergo &c.* Eodem modo ratiocinare de quovis alio, qui in peculiari aliqua materia verſetur. Igitur de quovis ſyllogiſmo in particulari poteſt dari ſcientia; ac proinde Logica, ſive regulas mentem dirigentes, ſive ipſius mentis operationes reſpiciat, digna eſt, quæ ſcientia dicatur.

Arguitur 3. Logica eſt modus ſciendi. Sed modus ſciendi non poteſt eſſe ſcientia. Ergo Logica non eſt ſcientia. *Prob. min*: modus operandi neque ipſa operatio eſt, neque ipſius operationis effectus. Ergo &c.

℞. *diſting. ma*: Logica eſt modus ſciendi, hoc eſt, verſatur in modo ſciendi, *concedo ma*: Eſt modus ſciendi, videlicet eſt ipſum medium, quo ſcientia acquiritur, *nego ma*: & *diſting. min.* modus ſciendi non poteſt eſſe ſcientia, videlicet regulæ cogitandi non ſunt ſcientia, *concedo min.* De regulis cogitandi non poteſt haberi ſcientia, *nego min.*, & *conſeq.* Itaque Logica dicitur *modus*, *organum*, ſive *inſtrumentum ſciendi*, quia regulas exhibet, juxta quarum præſcrip-

tum

tum operari debet mens, ut rerum, in quarum inveſtigatione conſiderationeque tota eſt, ſcientiam acquirat. Id autem nequaquam prohibet, quominus ſcientia vere & proprie dici poſſit; cum hinc non ſequatur, ut ex certis evidentiſſimiſque principiis regulas ipſas oſtendere nequeat, ac nitide demonſtrare. Obſervandum porro, non ſolum principia, quibus Logicalium regularum demonſtratio innititur, naturali lumine nota nobis eſſe, planeque perſpicua, verum etiam eam vim nobis eſſe congenitam, qua circa ipſas regulas ratiocinari valemus. Quamvis enim ob violatam Dei legem, humana mens ignorantiæ tenebris tradita fuerit, iiſque involuta undique, & circumfuſa, non propterea rationis lumen ita fuit in nobis extinctum, ut nihil prorſus certo cognoſcere, unumque ex alio inferre, abſque artis auxilio, valeamus. Plura enim cognoverunt priſci Philoſophiæ cultores, neque pauca a rudibus imperitiſque hominibus, ſolo rationis lumine præbente facem, ac dirigente, etiam modo deteguntur. Hoc itaque naturale lumen rationis, quod *naturalis Logica* ſatis apte vocatur, illud unice fuit, quo faciliores magiſque obviæ *Logicæ artificialis* regulæ detectæ primo fuere & demonſtratæ. Hiſce autem mediantibus, aliæ atque aliæ paulatim repertæ fuerunt, & ſic deinceps; ut proinde ex *Logica naturali* ortum duxerit *artificialis*, ipſaque tota ex illa prodierit: quod certe artibus omnibus commune eſt. Operandi ſiquidem vim a natura dubio procul accepimus, & illa duce, operamur plura. Verum naturalis operationis perfectio & elegantia ab arte dependet. Hinc Tullius, *etſi*, inquit, *ingeniis magnis præditi quidam dicendi copiam ſive rationem conſequuntur, ars tamen eſt dux certior, quam natura. Aliud eſt enim Poetarum more verba fundere, aliud ea, quæ dicas, ratione & arte diſtinguere* (a).

Arguitur 4. Logica non verſatur in rebus neceſſariis. Ergo non eſt ſcientia. *Conſeq. eſt evidens;* quippe, ſi ſecus, ſcientia non eſſet certa atque firma cognitio; cum certitudo cognitionis ex illius neceſſitate derivetur, circa quod ipſa occupatur cognitio. *Prob. añs.* Nam regulæ, quæ a Logica conſiderantur, ſunt aliquid prorſus contingens, ut patet. Ergo &c.

℞. *diſting. añs*: Logica non verſatur in neceſſariis quoad eſſentiam, *neg. añs*; quoad exiſtentiam, *concedo añs*, & *nego conſeq.* Scientia itaque, ut ſit certa firmaque cognitio, debet eſſe de rebus neceſſariis quod *eſſentiam*, hoc eſt hujuſmodi, ut aliter, ac ſunt reipſa quoad ſua *eſſentialia attributa*, eſſe non poſſunt. Non autem re qui-

(a) lib. IV. *de Finibus* cap. 4.

Digitized by Google

quiritur, ut ſcientia occupetur circa res neceſſarias quoad *exiſtentiam*, nempe neceſſario exiſtentes; alioquin tantum de Deo, utpote qui ſolus neceſſario exiſtit, poſſet haberi ſcientia. Neceſſarias porro quoad *eſſentiam* eas eſſe regulas, in quibus Logica verſatur, inficiabitur nemo, qui rem æquo, ut par eſt, animo perpenderit. Adeo enim neceſſarium puto, ſyllogiſmum ex tribus dumtaxat terminis, ut optime concludat, conſtare debere, ut contrarium non minus repugnet, quam repugnet, hominem eſſe hominem, ſimulque ex anima rationali, atque corpore intrinſecus non coaleſcere.

Verum etſi omnium artium præcepta neceſſaria ſint quoad *eſſentiam*, non propterea ſequitur, *ſcientiæ* nomen illis jure deberi. Id certe ſcientia poſtulat, ut in neceſſariis verſetur. At hoc unum non ſufficit, ut ſcientia dicatur. Illud ergo convenit inter Logicam, & artem quamlibet, ut earum regulæ neceſſariæ ſint quoad *eſſentiam*. Verum Logica in eo ab artibus quammaxime differt, ut, ſecus ac in illis contingit, ex certis propriiſque principiis demonſtrative ipſa procedat. *Artes omnes*, inquit Vir Cl., *non tam objecti ſui notitiam, quam illius productionem aut geneſim ſpectant. Neque artifex ullam efficit demonſtrationem, ut eſt artifex, ſed forte ut ſuperiore alia ſcientia utcunque eſt inſtructus. Sic quæ affertur demonſtratio* (ab Architecto ſcilicet, cum oſtendit parietem rectum eſſe, ſi ad normam extructus fuerit) *ad Phyſicam pertinet; cum principio phyſico innitatur; atque omnis demonſtratio ad eam referatur ſcientiam, cujus ſunt principia, unde eruitur concluſio. Sic Rhetorica & Grammatica nihil ſunt, niſi artes, quæ magis uſu, quam demonſtrationibus nituntur. Illa ornatum, hæc ſermonis conſtructionem, Logica veritatem quærit; hinc non tantum regulas tradit, aut præcepta, ſed ea demonſtrationibus munit & confirmat. Grammatica vero nihil proprie demonſtrat de ſuo objecto, cum illius regulæ ex hominum pendent arbitrio. Reliquæ artes, ſi quæ demonſtrent ſuas regulas, principia demonſtrationum aliunde mutuantur. Sed Logica demonſtrationes efficit, quæ ex propriis & certis principiis ducuntur, non mutuatitiis dumtaxat, aut ex facunditate ingenii deſumtis innititur* (a).

AR-

(a) Du-Hamel Tom. I. Philoſ. q. 3. *de genere & natura Logices.*

Digitized by Google

ARTICULUS III.

An Logica ſit ſcientia practica, num vero theoretica.

CUm omnis ſcientia ſit vel *practica*, vel *theoretica*, oſtenſo Logicam eſſe ſcientiam, ratio doctrinæ poſtulat, ut ad quodnam ſcientiæ genus illa referenda ſit, definiatur.

DEFINITIO I.

Scientia *theoretica*, ſive, ut ajunt Scholæ, *ſpeculativa*, dicitur illa, quæ in vero inveſtigando contemplandoque tota poſita eſt, in eoque jam cognito plane quieſcit.

DEFINITIO II.

Contra vero ſcientia *practica* ea eſt, quæ ad operantem potentiam dirigendam *per ſe* ordinatur.

COROLLARIUM.

Hinc *finis immediatus*, atque *intrinſecus* ſcientiæ *theoretica* ſola veritas eſt, ſeu perfecta ipſius veritatis cognitio; ſcientiæ vero *practica* eſt opus illud, quod efficit potentia, quæ ab ipſa ſcientia in ſua actione operationeque dirigitur. Ut enim ſuper illa verba Ariſtotelis lib. II. *Metaphyſica* cap. 2: *ſpeculativa finis eſt veritas; practica autem opus*, præclare advertit Avicenna, vulgo *Commentator*, *per ſpeculativam ſcimus, ut ſciamus; per practicam vero ſumus ſcientes, ut operemur*.

SCHOLION.

Non convenit tamen inter Philoſophos, quamnam potentiam ordinare debeat ſcientia, eamque ſua in operatione dirigere, ut *practica* jure ac merito ſcientia ipſa dicatur. Plerique enim cum Doctore Subtili opinantur, hujuſcemodi potentiam debere eſſe aliam ab intellectu; unde *praxim*, ſive operationem practicam, ex qua *practica ſcientia* denominatio deſumitur, cum illo definiunt: *actus alterius potentia ab intellectu, naturaliter poſterior intellectione, natus* elici

(a) Quæſt. IV. *Prologi §. Dico igitur*.

elici conformiter rationi recta, ad hoc ut ſit rectus (a): quod quidem ipſemet quoque Ariſtoteles docuiſſe videtur; cum dixerit, *intellectum extenſione fieri practicum* (b), videlicet cum ad alias dirigendas potentias ſeſe extendit. Contra vero alii, neque de turba Philoſophi, ad ſcientiam *practicam* ſatis eſſe arbitrantur, ut potentiam operantem dirigat, quæcumque ea ſit, nempe ſive intellectus, ſive voluntas. Itaque

HYPOTHESIS.

Cum id ex hominum potius arbitrio, quam a ratione dependeat, ne lis fiat de nomine, dico, ac veluti certum, principii loco, aſſumo, ſcientiam lato modo *practicam* dici eam poſſe, quæ *per ſe* ordinatur ad operantem potentiam dirigendam, atque adeo quæ opus reſpicit, qualecunque demum ſit. Scientiam vero proprie, & ſtricte *practicam* eſſe illam, quæ potentiam ab intellectu diverſam ordinat, eamque dirigit, ut opus ſuum recte perficiat. Hoc itaque poſito, ſit

PROPOSITIO UNICA.

Logica non eſt ſcientia pure & ſimpliciter ſpeculativa, ſed lato modo practica.

Probatur. Logica non quieſcit in cognitione veri, ſed eo intrinſecus & immediate tendit, ut intellectum dirigat, ipſumque idoneum reddat ad omnes ſuas operationes recte perficiendas; unde per Logicam non ſcimus, ut ſciamus, proxime quidem & immediate, ſed ſumus ſcientes, ut operemur. Ergo Logica non eſt ſcientia proprie & in rigore *theoretica*, ſed lato modo *practica*. Lato, inquam, modo; quippe intellectum, non autem potentiam ab illo diverſam, dirigit ipſa, ut eſt manifeſtum.

Neque valet, ſi quis opponat, intellectum dirigi a Logica ut veritatem citra errorem inveniat; atque adeo veri contemplationem, ejuſque ſcientiam, tamquam finem, a Logica ultimo reſpici; idque ſatis eſſe, ut *ſcientia theoretica* illa dicatur.

Contra enim eſt; quia Logica primo, & *per ſe* eo tendit, idque agit, ut intellectum operantem dirigat, ne in errorem labatur; adeo ut perfectio operationum mentis ſit finis Logicæ immediatus atque intrinſecus. Ergo Logica eſt facultas directiva potentiæ; ac proinde lato modo *practica*. Et licet perfectio iſta intellectus operantis, quam reſpi-

(a) Quæſt. IV. *Prolo i ſ. Dico igitur*.
(b) Lib. III. *de Anima* cap. 11.

reſpicit Logica, ſit propter contemplationem veri, hoc tamen quemadmodum non officit, quominus Logica mentem ordinet, ejuſque *directrix facultas* recte dicatur, ita non impedit, quominus facultas lato modo practica reipſa ſit, & jure vocari queat. Hinc Doctor Subtilis, *poteſt dici*, inquit, *quod Logica eſt practica, quia non eſt tantum propter ſcire proprium, ſed propter ſcire directivum in aliquo actu; quia enim intellectus in actu proprio diſcurſivo poteſt errare, indiget habitu directivo, priuſquam dirigat in aliis Scientiis ſecundum Boethium ſuper Porphyrium; ideo Logica poteſt dici primo practice inventa extendendo nomen* (a).

COROLLARIUM.

Cum nomen *Artis* poſſit ad ſcientiam tam vere & proprie, quam lato modo *practicam* extendi; & ideo facultas quævis practica poſſit *Ars* nuncupari, nihil ſane prohibet, quominus Logica *Ars cogitandi*, ſive *Ars humanæ mentis directrix*, atque, ut ait Tullius, *veri & falſi diſceptatrix & judex* (b), merito optimoque jure dicatur.

ARTICULUS IV.

Logicæ objectum determinatur.

DEFINITIO I.

O*Bjectum* ſcientiæ eſt id, circa quod ipſa ſcientia demonſtrative occupatur, videlicet cujus naturam inquirit, inveſtigat principia, & proprietates oſtendit. Eſt enim ſcientia *cognitio rei per demonſtrationem acquiſita*.

DEFINITIO II.

Materiam facultatis practicæ voco illud, in quo ea perfectio, ſive forma recipitur, quam efficit agens, dum ad præſcriptum ipſius facultatis operatur. Sic corpus humanum, quatenus *ſanabile*, eſt materia Medicinæ. Eſt enim id, in quo recipitur ſanitas, quam Medicæ artis leges unice reſpiciunt.

(a) Quæſt. I. n. 14. in lib. VI. *Metaphyſicæ*.
(b) Lib. IV. *qq. Academ.* cap. 28.

Digitized by Google

Corollarium I.

Cum *finis intrinſecus* facultatis *practicæ* ab ea forma, ſive perfectione non differat, ad quam primo & per ſe obtinendam facultas ipſa ex ſe ordinatur, cognito *intrinſeco fine* practicæ facultatis, ejuſdem quoque *materia* facile determinabitur.

Corollarium II.

Quoniam vero in omni *ſcientia practica* duæ habentur rationes diſtinctæ, ratio ſcilicet *ſcientiæ*, & ratio *practicæ facultatis*, duo quoque in illa diſtinguenda ſunt, nempe *objectum*, & *materia*. *Objectum* ſcientiæ *practicæ* eſt id, in quo illius demonſtrationes verſantur; quodque proinde, earum ope, verum eſſe, certo & evidenter cognoſcimus. *Materia* vero eſt id, in quo recipitur illa *forma*, ſeu perfectio, quam ut activa potentia obtineat, ab ipſa ſcientia dirigitur. Hæc porro inter ſe differre, ex eo patet, quod de *materia* vel nihil in ipſa ſcientia oſtenditur; vel, ſi quid demonſtratur, hoc non fit, niſi *per accidens*, videlicet ut evidentius reluceat, quomodo potentia activa circa illam ſe gerere debeat, ut opus ſuum recte perficiat. Contra vero de *objecto* demonſtrantur plura, & quidem ex principiis, quæ ſunt propria ipſius ſcientiæ; unde ſcimus per demonſtrationem de *objecto*, quod ſciendum eſt, ut circa *materiam* recte deinde operemur.

Scholion.

Quemadmodum non inficior, *objectum* ſcientiæ *theoreticæ* poſſe illius etiam *materiam* vocari, ita perſuaſum habeo, cum de *ſcientiis practicis* agitur, hæc duo eſſe inter ſe quam accurate diſtinguenda. Cum enim aliud ſit, quod in hujuſmodi ſcientiis verum eſſe oſtenditur; aliud vero, circa quod, ad earum præſcriptum operando, occupari debemus, nonniſi perperam hæc duo accipi promiſcue a nobis poſſunt, ſimulque confundi.

Definitio III.

Nomine *modi ſciendi* eas omnes regulas intelligimus, quibus intellectus in operando dirigitur.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Operationes intellectus, ut dirigibiles, non ſunt objectum Logicæ.

Probatur. Logica non verſatur demonſtrative circa operationes intellectus. Nihil enim de illis *per ſe* oſtenditur in Logica; & licet earum natura in illa explicetur, & vitia detegantur, id tamen nonniſi *per accidens* fit, nimirum ut evidentius inde pateant regulæ, quibus illa corrigenda ſunt, ipſaque mentis acies ad verum dirigenda. Ergo operationes intellectus non ſunt *objectum* Logicæ.

Neque juvat, quod ajunt, operationes ſcilicet mentis non eſſe quidem Logicæ objectum, ſi *abſolute*, ſeu *ſecundum ſe* ſpectentur; ſecus vero, ſi *prout dirigibiles* ſumantur.

Contra namque eſt; quippe operationes illæ, neque *ut dirigibiles*, ita conſiderantur in Logica, quemadmodum ratio *objecti* poſtulat. Nihil enim a Logico de earum dirigibilitate demonſtratur, nullaque oſtenditur affectio, quæ illis, quatenus *dirigibiles* ſunt, reipſa competat. Accedit, conſiderationem *dirigibilitatis* in operationibus mentis *theoreticam* eſſe, quemadmodum eſt pure *theoretica* conſideratio ejuſdem mentis, quatenus beatificabilis. Ergo, ſi operationes mentis, etiam reduplicative *ut dirigibiles*, eſſent Logicę *objectum*, Logica non ſcientia *practica*, ſed pure *theoretica* adhuc dici oporteret.

PROPOSITIO II.

Modus ſciendi eſt objectum Logicæ.

Probatur. Nam de *modo ſciendi* ita diſſeritur in Logica, ut omnes demonſtrationes, quæ in ea traduntur, circa modum ipſum totæ ſint, atque ad illum unice pertineant. Ergo *modus ſciendi* eſt *objectum* Logicæ.

PROPOSITIO III.

Materia Logicæ ſunt operationes intellectus, quatenus dirigibiles.

Probatur. Etenim eo immediate ex ſe tendit Logica, ut mentem dirigat, ne in vero inveſtigando erret. Ergo operationes intellectus, quatenus dirigibiles, ſunt *materia* Logicæ. *Materia* quippe faculta-

Digitized by Google

tis *practicæ*, atque adeo etiam Logicæ, eſt id, circa quod illa *directive*, ut diximus, occupatur.

S C H O L I O N.

Ea hic ſilentio momenta prætereo, quæ contra primam propoſitionem urgere nonnemo fortaſſe poterit, ne tempus ſcilicet fruſtra terere videamur. Enimvero, cum, ſi attento animo eorum vis expendatur, non aliud evincant, niſi Logicam circa operationes mentis, ut *dirigibiles*, veluti circa propriam materiam, occupari, nobis ne tantillum quidem officiunt; quippe qui aperte fatemur, illas operationes ſub hac ratione utique ad Logicam pertinere.

EXER-

EXERCITATIO II.

An idea, ſive ſimplex rei perceptio poſſit eſſe falſa.

Diximus, cognitionem eſſe *veram*, quæ ſuo objecto conformis eſt; *falſam*, quæ cum illo minime congruit. Veritatem *ſimplici* etiam *perceptioni* convenire, non autem ſoli *judicio*, videtur perſpicuum. Non deſunt tamen, qui id in dubium vertant, arbitrantes, veritatem, & falſitatem proprietates dumtaxat eſſe judicii; ac proinde *ideam* neque *veram*, neque *falſam* jure dici poſſe. Sunt vero alii, qui ſuam quoque veritatem *ideis* tribuendam cenſent; at inter eos non convenit, cum de earumdem falſitate quæritur. Quidam enim *incomplexis* quidem *ideis* falſitatem denegant, ſed dubitant de *complexis*. Quidam vero *ideis* tam *complexis*, quam *incomplexis* falſitatem repugnare, atque adeo nullam eſſe ideam falſam, contendunt. Diſcutiendum itaque hoc loco eſt, primo: *an ſimplici perceptioni conveniat veritas*. Secundo: *an illi competat falſitas*, adeo ut, quemadmodum *propoſitio*, ita *perceptio* vera & falſa ex æquo eſſe poſſit.

Definitio.

Objectum ideæ ſive *ſimplicis*, ſive *complexæ* voco id, quod ipſa idea exprimitur. Vulgaris enim ſententia eſt, omnium Philoſophorum firmata conſenſu, *objectum* cognitionis eſſe rem ipſam cognitam, utpote id, quod potentiæ cognoſcenti obiicitur, & circa quod potentia ipſa, dum agit, occupatur.

PROPOSITIO I.

Perceptio ſive ſimplex, ſive complexa poteſt eſſe vera.

Probatur. Etenim *perceptio* tam *ſimplex*, quam *complexa* poteſt eſſe conformis ſuo objecto. Ergo poteſt eſſe vera. *Conſeq.* eſt evidens, niſi lis fiat de nomine. *Prob. añs*: nam poteſt res eſſe hujuſmodi, cujuſmodi nobis in idea relucet. Sic *triangulum* eſt figura illius naturæ, cujus apparet in ſua *notione*, ſive *idea*. Eſt enim, ſicuti cognoſcitur, figura plana tribus tantum lineis terminata, totidemque angulos

gulos continens. Idipſum dicito de notione *complexa* ligni albi. Ergo *ſimplex* rei *perceptio* poteſt ſuo objecto congruere; adeoque &c.

Confirmatur. *Judicium* poteſt eſſe conforme ſuo objecto. Ergo etiam *ſimplex perceptio*. *Ans* conſtat. Prob. *conſeq.* Suo *objecto* conforme dicitur *judicium*, ſi hujuſmodi fuerit res, cujuſmodi eſſe judicatur. Ergo etiam *perceptio* ſuo objecto conformis dicenda eſt, ſi res ita ſit, ut cognoſcitur. Poteſt autem res ita eſſe, ut cognoſcitur, quemadmodum poteſt eſſe, ut judicatur. Ergo ipſa quoque *perceptio* poteſt eſſe conformis ſuo objecto, non ſecus ac judicium; ac proinde aut etiam *judicio* veritas deneganda eſt, aut *ſimplici* itidem *perceptioni* illa eſt tribuenda.

Opponet aliquis fortaſſe, verum & falſum, Ariſtotelis ſententia, in iis tantum reperiri, in quibus aliqua habetur compoſitio, vel diviſio, *affirmatio* ſcilicet, vel *negatio* (a); ac proinde perceptioni veritatem minime convenire; propterea nimirum quia mens, dum percipit, nihil prorſus alicui tribuat, nihilque detrahat.

Verum contra eſt; quia, cum ait Ariſtoteles, veritatem, & falſitatem in compoſitione diviſioneque conſiſtere, non loquitur de veritate generatim ſumta, ſed de illa veritate dumtaxat, cui opponitur falſitas, videlicet de iis, quæ ita ſunt vera, ut ſimul aliquid falſi illis ſubeſſe poſſit. Neque enim potuit veritatem ſimplici perceptioni *abſolute* denegare, quin ſibi ipſi plane ad evidentiam contradiceret. Suam quippe veritatem etiam ſimplici intellectioni conceſſit: *ſuam*, dico, hoc eſt, talem, ut, quæ illi opponitur, falſitas proprie non ſit, ſed ignorantia. *Verum*, inquit, *intelligere hac; falſum vera non eſt deceptio, ſed ignorantia* (b). Libenter itaque damus, ſoli judicio eam veritatem competere, cui illa ex adverſo ſtat falſitas, quæ *deceptio* vocatur. Non enim proprie decipi dicitur, niſi qui aliquid alicui tribuit, quod illi minime convenit; vel aliquid uni detrahit, quod ipſi detrahere jure non poteſt. At vero non dabimus unquam, perceptionem, quæ ſuo objecto congruit, dignam non eſſe, quæ vera dicatur, quamvis nulla ſit, ut modo patebit, quæ, proprie loquendo, falſa vocari queat.

PROPOSITIO II.

Nulla perceptio, ſive ſimplex ea ſit, ſive complexa, poteſt eſſe falſa.

Probatur 1. Nulla eſt perceptio falſa, ſi mens percipiendo non poſſit

(a) Lib. I. *Periherm.* cap. 1. (b) Lib. IX. *Metaph.* tex. 22.

Digitized by Google

poſſit falli. Atqui mens percipiendo non poteſt falli. Ergo nulla eſt perceptio falſa. *Major* eſt evidens. *Prob. min.* mens non fallitur percipiendo, ſi nihil alicui rei percipiendo tribuat, quod illi tribuendum non ſit, nihilque detrahat, quod ei non ſit detrahendum. Conſtat autem, mentem, dum percipit, nihil prorſus rei perceptæ tribuere, nihilque detrahere; cum nihil de ipſa re affirmet, nihilque neget. Ergo mens percipiendo non poteſt falli.

Probatur 2. Nulla eſt perceptio, ſive ſimplex ea ſit, ſive complexa, quæ id menti non exhibeat, cujus eſt perceptio; neque enim poteſt fieri, ut id non percipiatur, quod percipitur. Hoc ipſo autem perceptio vera eſt. Ergo nulla eſt, nec eſſe poteſt, perceptio falſa. *Prob. min.* vera eſt perceptio, quæ ſuo objecto congruit. Atqui perceptio hoc ipſo, quod id menti exhibeat, cujus eſt perceptio, ſuo objecto congruit. Ergo &c. *Prob. min.* perceptio illi eſt conſentanea, quod ipſa perceptione in mente exprimitur; quippe, ſi ſecus, id non exprimeret, quod exprimit. *Objectum* autem perceptionis eſt id, quod menti percipienti obverſatur, eique in perceptione relucet. Ergo &c.

Confirmatur aſſertio. Enimvero aut mens rem ſibi objectam percipit, aut non percipit. Si percipit: ergo veram habet illius ideam. Si non percipit: ergo nulla ipſius rei idea in mente eſt; ac proinde neque idea falſa.

COROLLARIUM.

Cum *ſenſatio* non ſit niſi perceptio earum paſſionum, ſive motionum, quæ ex rerum ſenſibilium appulſu, in fibris nervorum, organa ſenſuum conſtituentium, excitantur, nulla *ſenſatio* falſitati obnoxia eſt, nullaque erroris eſt accuſanda.

SCHOLION.

Non inficior, perceptionem poſſe dici falſam ratione ſubſequentis judicii, quatenus nempe ex re male percepta falſum judicium derivatur. Cum enim id de objecto affirmare debeamus, quod nobis in illius idea relucet; id vero de objecto negare, quod in ipſius idea nobis haudquaquam occurrit, ſi idea, quæ ad præſentiam alicujus objecti in mente excitatur, illius revera non ſit, cujus eſſe arbitramur, plura certe de objecto affirmabimus, quæ illi minime competunt; & plura de eodem negabimus, quæ ipſi revera conveniunt. Ut ſi loco orichalci, quod nobis præſens exiſtit, aurum percipiamus, id percipere arbitrantes, quod nobis præſens eſt, ea omnia orichalco tribuemus,

Digitized by Google

buemus, quæ auri tantum ſunt propria; eaque omnia illi denegabimus, quæ ipſi revera inſunt. Itaque, cum perceptio occaſionem certo quodam modo menti præbeat, ut falſam de re objecta ſententiam ferat, videtur, ipſam quoque perceptionem, ratione ſubſequentis judicii, ſi falſum fuerit, falſitati obnoxiam dici jure ac merito poſſe.

Objecta diluuntur.

Opponitur primo. Poteſt contingere, ut res objecta, ſecus ac ſit reipſa, percipiatur, quemadmodum certe accidit, cum, objecto orichalco, aurum percipitur. Sed tunc perceptio eſt falſa. Ergo aliqua poteſt eſſe perceptio falſa.

℞. *diſting. ma:* Poteſt contingere, ut res objecta, ſecus ac ſit reipſa, percipiatur, hoc eſt, ut ipſa non percipiatur, ſed, ejus loco, percipiatur res alia omnino diverſa, *concedo ma:* hoc eſt, ut ipſa quidem percipiatur, ſed perperam, *nego ma:*, & *diſting. min.* tunc perceptio eſt falſa, videlicet non eſt perceptio rei objectæ ſenſibus, *concedo min.:* eſt falſa, hoc eſt, illi non congruit, cujus eſt perceptio, *nego min.* & *conſeq.* Itaque, cum, obiecto orichalco, aurum percipitur, non falſo, ſed nullo modo orichalcum percipitur. Ut enim orichalcum falſo percipiatur, debet orichalcum abſolute percipi, quamvis non prout eſt in ſe, ſed ſecus ac ſit reipſa. Tunc autem percipitur aurum, & quidem vere, alioquin perperam diceretur, aurum percipi loco orichalci; ac proinde licet non percipiatur res objecta ſenſibus, percipitur tamen res objecta menti, quæ ſola eſt ipſius perceptionis objectum, utpote quæ perceptione cognoſcitur, & ſola menti percipienti obverſatur. Neque arbitror fore, qui velit, ideam auri, quæ tunc in mente excitatur, eſſe ideam falſam orichalci. Quandoquidem nulla tunc eſſet idea vera, ſed omnis dicenda videretur falſa; cum nulla nimirum ſit, quæ objecto per eam minime intellecto reſpondeat. Sic eſſet falſa idea hominis; quia licet hominem exprimat, equo tamen conſentanea non eſt, quemadmodum idea auri orichalco, cujus falſa idea dicitur, nequaquam congruit; atque ita de ceteris.

Dices, falſam eſſe ideam, quæ id non exprimit, quod debet exprimere. Sed idea auri, quæ in mente excitatur, præſente orichalco, id non exprimit, quod debet exprimere. Ergo eſt idea falſa. *Prob. min:* Idea debet exprimere id, a quo excitatur. Sed idea auri, quæ in nobis emergit ad præſentiam orichalci, ſeu quæ in nobis excitatur præſente orichalco, non exprimit orichalcum. Ergo id non exprimit, quod debet exprimere. ℞.

Digitized by Google

℞. *permiſſa majore, neg. min.*: cujus probationis *nego majorem*. Etſi enim ut plurimum ideæ exprimant id, a quo excitantur, hoc tamen non adeo verum eſt, ut nulla idea in nobis excitari queat, niſi ab ea ipſa re, cujus eſt idea. Conſtat enim, ut alia plura prætercam, ex rerum ſenſibilium conſideratione ideam Dei in nobis excitari; neque propterea falſam hanc ideam cenſeri debere, licet id per eam non obverſetur menti, ex quo idea ipſa certo quodam modo derivatur; quia, cum nulla res creata ſit illius objectum, earum nullam debet exprimere; ac proinde neque cum illis conferenda idea ipſa eſt, ut vera, vel falſa dici jure ac merito queat. Ceterum nonniſi iniquo jure poſſe a nobis exigi, ut omnis idea id menti exhibeat, a quo excitatur, adeo ut erroris ſit accuſanda perceptio, ſi res ſecus accidat, ex eo vel maxime oſtenditur, quod plus exigatur, quam ipſa rerum patiatur natura. Cum enim plura ſint corpora, natura quidem diverſa, ſed quoad aliquas ſenſibiles, magiſque obvias qualitates plane ſimilia, plura certe ſunt, quibus denegare jure non poſſumus, quominus, cum primo nobis occurrunt, eaſdem paſſiones motioneſque in ſenſuum organis excitent. Certum eſt autem, ex ſimilibus motionibus in organis ſenſuum factis, eaſdem ideas in mente neceſſario excitari. Ergo impedire jure nequimus, quin corpora diſſimilia ſimiles quandoque ideas in nobis excitent; ac proinde quin aliqua idea rem interdum menti exhibeat ab ea omnino diverſam, a qua excitatur.

Opponitur 2. Perceptio ligni media ſui parte in aqua fracti, ſicuti etiam perceptio Solis ſub pedali magnitudine, ſunt manifeſte falſæ; cum neque lignum reipſa fractum ſit, neque Sol pedali dumtaxat magnitudine revera donetur. Ergo datur interdum perceptio falſa.

℞. *neg. añs*. Quamvis enim perceptio ligni media ſui parte in aqua fracti, non ſit ligno *abſolute* ſumto conſentanea, optime tamen conſentanea eſt ligno ſumto, quatenus media ſui parte in aqua exiſtit. Hac enim ratione ſi lignum ſpectetur, neceſſe eſt, ut media ſui parte veluti fractum videatur; quippe, cum aqua ſit medium denſius aere, luminis radii in egreſſu ab aqua in aerem, ita debent refrangi, ut a perpendiculari recedant, quo ſit propterea, ut objectum, quemadmodum ex Phyſicis conſtat, altius apparere debeat, quam ſit reipſa. Hinc S. Auguſtinus hac de re diſſerens, *ſi quis*, inquit, *remum frangi in aqua opinatur, & cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuntium, ſed malus eſt judex. Nam ille pro ſua natura non potuit aliter in aqua ſentiri, nec aliter debuit. Si enim aliud*

eſt

eſt aer, aliud aqua, juſtum eſt, ut aliter in aere, aliter in aqua ſentiatur (a). Quamobrem aſſerere minime dubitat idem S. Doctor, ſenſus noſtros palmariæ falſitatis jure arguendos eſſe, ſi remum media ſui parte in aqua exiſtentem nobis plane integrum exhiberent. *Nam cauſa accedente, quare ita videretur, ſi demerſus unda remus rectus appareret, magis*, inquit, *oculos meos falſæ renunciationis arguerem; non enim viderent, quod talibus exiſtentibus cauſis videndum fuit* (b). Eodem modo ratiocinare de preceptione Solis ſub pedali magnitudine. Enormis quippe illius a nobis diſtantia neceſſario poſtulat, ut ſub majori mole a nobis percipi nequaquam poſſit. Hujuſmodi itaque perceptiones non ſunt falſitatis accuſandæ; quia nempe etſi proprio objecto minime congruere videantur, optime tamen eidem congruunt, ſi, ut par eſt, omnium circumſtantiarum ratio habeatur.

Opponitur 3. Perceptio Dei injuſti eſt falſa. Quid enim magis falſum eſt, quam Deum non eſſe juſtum? Ergo aliqua datur, vel ſaltem dari poteſt, perceptio falſa.

℟. negando hypotheſim, videlicet dari poſſe notionem Dei injuſti. Vel enim nomine *Dei* id intelligitur, quod intelligendum eſt, ut Deus concipi dicatur, ſcilicet *ens ſumme perfectum*; vel intelligitur ens aliud, in quo plenitudo omnium perfectionum haudquaquam reluceat. Si primum: contendo, nullam eſſe, nec eſſe poſſe perceptionem *Dei injuſti*; cum evidens in eo ſit contradictio, ut in *ente ſumme perfecto* injuſtitia concipiatur. Sin alterum: nihil ad rem facit; quia ſicuti non eſt falſum, in *ente imperfecto* injuſtitiam poſſe reperiri, ita falſa non eſt idea, quæ *ens* hujuſmodi, veluti *injuſtum*, & ſi placet, etiam *mortale* & *caducum*, menti cogitanti exhibeat. Idipſum dicito de iis omnibus perceptionibus, quæ vulgo *chymericæ* dicuntur. Etenim vel nullæ ſunt, ſi ponantur contradictoria involvere; vel ſunt veræ, ſi nulla in illis contradictio habeatur. Sunt, inquam, veræ; quia optime iis rebus congruunt, quæ percipiuntur, ſeu quas ideæ ipſæ in mente exprimunt, etſi res illæ in rerum natura haudquaquam exiſtant.

Opponitur 4. Judicium poteſt eſſe falſum. Ergo etiam perceptio. Nulla enim videtur aſſignari poſſe diſparitas.

℟. *nego conſeq.*, & diſparitas eſt; quia de eodem objecto, & quidem penes eandem rationem ſpectato, plura ſimulque oppoſita formari poſſunt judicia. At vero unius rei nonniſi una poteſt eſſe perceptio.

(a) Lib. de *vera Religione* num. 62. *alias* cap. 33.
(b) Lib. III. *contra Academicos* num. 26. *alias* cap. 11.

Digitized by Google

ceptio. Sic de homine, quatenus eſt *animal rationale*, poteſt tam affirmative, quam negative enuntiari mortalitas; ac proinde judicium duplex de eodem fieri, quorum alterum eidem congruat, & ideo ſit verum; alterum vero conſentaneum nequaquam ſit, ac propterea falſum. Contra vero ſi quid in una perceptione reluceat, quod in altera deſit, jam non idem utriuſque objectum eſt, ſed plane diverſum; ac propterea nequit una eſſe vera, & altera falſa; cum eidem rei, tamquam proprio objecto (quemadmodum requiritur, ut una vera, altera falſa dicatur) utraque illa idea comparari minime poſſit. Neque enim idea, ut ſuperiori etiam loco monuimus, falſa dicenda ex eo eſt, quod rebus diverſis nequaquam congruat.

Dices, in idea complexa judicium involvi. Ergo ſicuti judicium, ita idea complexa poteſt eſſe falſa. *Prob. añs*: idea complexa involvit compoſitionem unius cum alio, ſcilicet modi cum re, vel formæ cum ſubjecto. Nam idea *montis albi* conjunctionem exhibet *albedinis* cum *monte*. Ergo &c.

℞. *neg. añs*, cujus probationis *diſting. añs*: idea complexa involvit compoſitionem, hoc eſt, rem compoſitam menti exhibet, *concedo añs*; involvit compoſitionem, hoc eſt, rem compoſitam, ſcilicet affirmationem unius de alio, *nego añs*, & *conſeq.* Quamvis ergo in idea complexa habeatur compoſitio, hæc tamen diverſa omnino ab ea eſt, quæ judicium conſtituit. Per ideam enim complexam plura in uno percipiuntur; at non ita, ut unum de alio mens ipſa affirmet, vel neget. Contra vero compoſitio, in qua conſiſtit judicium, eſt hujuſmodi, ut ab affirmatione, vel negatione unius de alio minime diſtinguatur. Profecto dum mens *montem aureum* concipit, nihil affirmat de monte, quod ſibi in montis notione reluceat, atque adeo quod monti inſit reipſa; ſed tantum aliquod, perinde ac factum, concipit, quod fieri non repugnat.

Opponitur 5. Perceptio poteſt eſſe vera. Ergo etiam falſa. *Prob. conſeq.* Veritas & falſitas contrarie opponuntur. Ergo, cui convenit una, etiam altera competit. Contraria enim dicuntur, quæ eidem ſuſceptivo viciſſim inſunt.

℞. *neg. conſeq.* & *diſting. añs probationis*: veritas & falſitas contrarie opponuntur, ſi ad propoſitionem, ſive judicium referantur, *omitto añs*; ſi referantur ad perceptionem, *nego añs*, & *conſeq.* Loquendo itaque de perceptione, contendo, veritatem & falſitatem non ita illi convenire, ut, quemadmodum una vera eſt, ita altera falſa eſſe poſſit. Rem ſatis ex iis rationibus patere puto, quibus aſſertionem noſtram demonſtravimus. Neque porro arbitrandum puto, ſolam

per-

perceptionem eſſe hujuſmodi, ut illi competat veritas, & falſitas prorſus repugnet. Miſſo namque, ſummam veritatem adeo neceſſario Deo convenire, ut manifeſta ſit contradictio, aliquid vel minimum falſitatis in eo reperiri, perſpecta res eſt, veritati, quam *entitativam* vocant Philoſophi, nullam omnino falſitatem adverſari. Adeo ſiquidem vera ſunt omnia, quæ in mundo *entia* exiſtunt, ut nullum plane eſſe queat *ens*, quod falſum dici poſſit. Mirum igitur ne videatur, ſi etiam perceptioni ſuam veritatem tribuimus, quin falſitatem aliquam eidem concedamus; ac proinde ſi, loquendo de cognitione, detur veritas, cui nulla falſitas opponatur. Miſſum porro feci, veritatem, & falſitatem contrarie adverſari ſibi mutuo, ſi ad judicium referantur. Neque enim id adeo verum puto, ut nemini liceat hac de re dubitare. Certum quippe eſt, ad contrariam duorum attributorum oppoſitionem neceſſario requiri, ut eidem ſuſceptivo viciſſim inſint. Eſt autem, ſi non plane certum, ſaltem quammaxime probabile, ut ſuo loco oſtendemus, propoſitionem veram in falſam mutari non poſſe, neque falſam in veram; ac proinde veritatem & falſitatem, etſi cum propoſitione conferantur, non eſſe affectiones illius naturæ, ut, quemadmodum exigit contraria duorum attributorum oppoſitio, eidem propoſitioni viciſſim ineſſe queant. Ergo veritas, & falſitas, neque penes propoſitionem ſpectatæ, ſunt hujuſmodi, ut contrarie ſibi mutuo adverſari, jure ac merito dici poſſint.

EXER-

EXERCITATIO III.

An voces primo, & immediate ſignificent res, num vero conceptus mentis.

CUm non ſolum latentes mentis noſtræ cogitationes, rerumque notiones, quæ in nobis ſunt, verùm etiam res ipſæ, quæ foris exiſtunt, verbis deſignari, palamque fieri a nobis ſoleant; quæritur hic, quodnam ex hiſce duobus ſit primum, quod articulatæ voces ſignificent: videlicet an iſta vox *homo* primo indicet *naturam humanam*, deinde illius *notionem*, quæ in loquentis mente eſt; num vero primo *interiorem* loquentis *conceptum*, ac poſtea *naturam* ipſam audienti patefaciat, eique exhibeat.

ANIMADVERSIO.

Ut omnis ambiguitas, quæ in hac quæſtione eſſe poteſt, de medio tollatur, animadvertendum in limine cenſeo, *rei* nomine id omne hoc loco intelligi, quod poteſt percipi, ſive in anima, ſive extra animam illud exiſtat. Cum enim & ipſa cogitatio cognoſci per aliam poſſit, & verbis exprimi, poteſt illa quoque rationem *rei* quandoque induere. Quamobrem, ſi de mentis conceptibus immediate agatur, quæſtio ita intelligenda eſt, ut ſit ſenſus: *an voces, quibus mentis conceptus deſignantur, ſignificent primo & immediate ipſos conceptus, quatenus ſub loquentis cognitione, tanquam res cognoſcibilis, cadunt, vel cadere poſſunt; num vero nobis indicent primo, loquentem habere illos conceptus, atque circa ipſos diſtincta cognitione verſari, eoſque cognoſcere.*

PROPOSITIO UNICA.

Voces primo & immediate ſignificant res; ſecundo vero loco, & tantum conſequenter ipſarum rerum conceptus, qui ſunt in mente loquentis, ſive, quod perinde eſt, loquentem res ipſas cognoſcere.

Non alia fuiſſe videtur hac ſuper re Ariſtotelis ſententia. Maniſeſte ſiquidem docet, in diſputationibus nos, loco rerum, vocibus uti,

Digitized by Google

uti, quemadmodum computator calculos adhibet loco pecuniarum, idque ea de cauſa, quod res ipſæ in medium afferri haud a nobis poſſint. Ait enim, *quia fieri non poteſt, ut res ipſas ferentes, diſputemus, ſed nominibus pro rebus utimur ſignis; & quod accidit in nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere, quemadmodum ii, qui calculis ſupputant* (a). Ariſtoteli Subtilis quoque Doctor adſtipulatur; cum aperte concedat, *illud eſſe proprie rem, quod ſignificatur per vocem* (b).

Probatur autem primo. Nam voces id primo & immediate ſignificant, ad quod ſignificandum inſtitutæ primo fuerunt, atque aſſumtæ. Conſtat autem, voces aſſumtas initio fuiſſe ad ſignificandas res, non autem rerum conceptus. Ergo voces non rerum conceptus, qui in nobis ſunt, ſed res ipſas immediate ſignificant. *Major eſt evidens. Prob. min*: enimvero, ut habetur ex Geneſi, *formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. Omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ* (c). Ergo &c.

Prob. 2. Experientia manifeſtum cuique eſt, audita voce, rem immediate intelligi, quæ ipſa voce deſignari vulgo ſolet. Id autem vox immediate ſignificat, quod, ipſa audita, primo concipitur. Ergo &c.

Confirmatur. Nam infantes cum vocem aliquam audiunt, puta *panis*, non panis conceptum, qui in loquente eſt, ſed rem, quæ *panis* dicitur, unice concipiunt. Ignorant enim, panem ab eo percipi, qui panis vocem emiſit. Conſtat quoque, rem, quæ certa aliqua voce deſignatur, obiiciendam nobis eſſe, digitoque oſtendendam, ut ipſius vocis, quem nos latet, ſignificatum addiſcamus; cumque res ipſa obiicitur, animum ita nos in eam intendere, ut ne leviter quidem ad id, quod loquens cogitat, advertamus. Ergo res eſt, quod primo vox quævis ſignificat: primo, inquam. Non enim inficior, audita voce, nos etiam dignoſcere, rem a loquente percipi; errare quippe loquentem dicimus, ſi res ſecus ſe habeat, ac illius verba oſtendunt: quod ſane haud eſſet verum, ſi voces ne ſecundo quidem loco rerum conceptus indicarent.

Con-

(a) Lib. I. *Elenchorum* cap. 1.
(b) In I. *Sentent.* Diſtin 27. qu 3. ſ. *ad argumenta pro prima quæſtione*.
(c) *Geneſeos* cap. II. v. 19. 20.

Digitized by Google

Contrariis ſit ſatis.

Opponitur primo auctoritas Ariſtotelis, & S. Auguſtini. Ille enim docet, *ea, quæ ſunt in voce, earum, quæ ſunt in anima, paſſionum eſſe notas* (a). Hic vero ait, *qui loquitur, ſuæ voluntatis ſignum foras dare per articulatam vocem* (b). His additur Tullius, quippe qui dixerat, *hoc uno nos præſtare vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, & quod exprimere dicendo ſenſa poſſumus* (c). Ergo, horum ſententia, mentis noſtræ conceptus ſunt illud primum, quod articulatæ voces ſignificant; ac proinde &c.

℞. *præmiſſo antecedente, diſting. cons:* conceptus mentis ſunt illud primum, quod voces ſignificant, cum loquimur, ut latentes mentis noſtræ cogitationes aliis pateſaciamus, *concedo conſeq.* cum loquimur, ut ea, de quibus loquimur, indicemus, *nego conſeq.* Equidem non inficior, paſſiones animæ, mentiſque cogitationes vocibus immediate quandoque exprimi, & palam fieri, ſcilicet quando loquimur, ut foris pateat, quod intus patimur, vel operamur. Tunc enim interiores animæ paſſiones, operationeſque induunt *rerum* naturam, ut in limine diximus. Illud tantum in præſens negamus, voces immediate ſignificare conceptus mentis, cum non de conceptibus ipſis, ſed de iis, circa quæ cogitando verſamur, habetur ſermo. Hinc nobis minime officiunt, quæ objecta ſunt, Ariſtotelis, Auguſtini, atque Tullii teſtimonia. Loquuntur enim de cogitationibus mentis, non quatenus ſunt conceptus rerum, quæ vocibus indicantur; ſed quatenus ſunt res, quas pateſacere immediate optamus: docent nempe, nos articulatis vocibus uti ad exprimendum *amorem, triſtitiam, dolorem, gaudium*, ceteraſque animi paſſiones; cogitationes quoque ipſas mentis, perceptiones ſcilicet, atque judicia; vimque loquendi nobis contuliſſe naturam, ut hæc, ſi libuerit, manifeſtare valeremus; at minime negant, his, aliiſque id genus vocabulis, *anima, corpus, cœlum, terra* &c., cum proferuntur, res ipſas, non autem earum conceptus, primo, atque immediate deſignari, & palam effici.

Dices: aliquæ voces immediate ſignificant conceptus mentis. Ergo omnes immediate conceptus ſignificant. *Ans patet. Prob. conſeq.* quod uni eſſentiale eſt, omnibus ejuſdem generis convenit. Ergo &c.

℞. *diſting. ans:* aliquæ voces immediate ſignificant conceptus mentis, tamquam objectum loquentis, concedo *ans*; tamquam concep-

(a) Lib. I. *Periherm.* cap. 1.
(b) Lib. *de Magiſtro* n. 2. *alias* cap. 1.
(c) Lib. I. *de Oratore*.

tum loquentis, *nego añs*, & *conſeq.* Solutio patet ex dictis. Conceptus enim, qui immediate vocibus deſignantur, rerum rationem induunt.

Opponitur 2. Scriptura immediate ſignificat voces. Ergo voces immediate conceptus exprimunt. *Prob. conſeq.* nam, ut ſe habet ſcriptura ad voces, ita ſe habent voces ad conceptus; quippe ut ſcripturam loco vocis, ita voces loco conceptuum adhibemus.

℞. *neg. añs*. Eſt enim ſcriptura vox permanens, atque fixa, ad poſteros facile commeans. *Inventa ſunt litteræ*, inquit S. Auguſtinus, *ut per eas poſſimus etiam cum abſentibus colloqui* (a). Quamobrem ſicuti vox, ita ſcriptura, res immediate deſignat. Unde Ariſtoteles, *ea, quæ ſcribuntur*, ſigna appellat *eorum, quæ ſunt in voce* (b). Porro ſi voces vicem conceptuum gerere dicantur, ſicuti gerunt reipſa, dubitare nequaquam poſſumus, quin voces immediate res ipſas ſignificent. Has enim immediate etiam ipſi conceptus exprimunt. Hinc non aliam profecto ob cauſam angeli vocibus non utuntur, niſi quia, mutua ſuorum conceptuum communicatione, res ſibi invicem indicant, in quibus cogitando verſantur.

Opponitur 3. Si voces non indicarent rerum conceptus, qui ſunt in mente loquentis, non daretur mendacium. Datur autem mendacium. Ergo &c. *Prob. ſequela majoris*. Dicitur namque mentiri, qui aliter loquitur, ac intus ſentiat. Ergo &c.

℞. *diſting. ſequelam majoris*: ſi voces non indicarent, ne quidem conſequenter, conceptus mentis, *concedo ſequelam*: ſi voces non indicarent primo & immediate conceptus mentis, *nego ſequelam*; & *permiſſa min.*, *neg. conſeq.* Datur itaque mendacium, non quia voces primo & immediate indicant rerum conceptus, qui ſunt in mente loquentis, ſed quia vocalis propoſitio internum loquentis judicium conſequenter deſignat & exprimit. Conſequenter, inquam; quippe quod primo, audita propoſitione, inquirimus, eſt, an res ita ſe habeat, ac ipſa propoſitio enuntiat; ac proinde an propoſitio vera ſit, num vero falſa. Si vero dubium aliquod ſit de ſinceritate loquentis, etiam ad internum illius judicium propoſitio ipſa refertur, inveſtigando ſcilicet, num illi conſentiat, an repugnet. Sicuti enim *vera* dicitur propoſitio, ſi rebus congruat, *falſa*, ſi non congruat; ita loquens *verax* vocatur, ſi interno illius judicio propoſitio reſpondeat; *mendax*, ſi non reſpondeat.

EXER-

(a) Lib. XV. *de Trinitate* cap. 10. (b) Lib. I. *Perihermen.* cap. 1.

Digitized by Google

EXERCITATIO IV.

An propoſitio vera poſſit mutari in falſam.

QUæ ſit propoſitio vera, & quęnam falſa, dictum eſt, cum de veritate, & falſitate propoſitionum ageremus. Hoc ergo poſito, id unum modo quærimus, an propoſitio vera poſſit in falſam verti, atque adeo etiam viciſſim falſa in veram mutari. Hinc illæ tantum propoſitiones in diſceptationem veniunt, quæ in *materia contingenti* verſantur; quippe quæ ſolæ ita ſunt veræ, ut eo ipſo inſtanti, quo veræ ſunt, potuerint eſſe falſæ. Quæ namque *materiam neceſſariam*, vel *impoſſibilem* reſpiciunt, ſi veræ ſünt, adeo ſunt veræ, ut falſas eas eſſe, repugnet; ſi vero ſunt falſę, adeo ſunt falſæ, ut veræ eſſe non poſſint.

PROPOSITIO UNICA.

Nulla propoſitio vera poteſt in falſam verti, nullaque falſa in veram mutari.

Probatur aſſertio, *& quidem primo quoad propoſitiones de præterito.* Nam obiectum propoſitionis de præterito eſt immutabile. Ergo etiam ipſa propoſitio. *Conſeq. eſt evidens. Prob. añs:* nulla enim potentia poteſt fieri, ut præteritum non præterierit; cum, quod fuit, & modo non eſt, ſit plane nihil; ac proinde incapax omnino, ut potentia activa vim ſuam circa illud, tamquam circa ſubjectum, exerceat. Dicitur propterea, *ipſum quoque Deum hoc uno privari, ingenita facere, quæ facta ſunt.* Ergo &c.

Probatur modo *quoad propoſitiones de præſenti.* Etenim omne, quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe eo inſtanti, quo eſt; cum ſcilicet idem ſimul eſſe, & non eſſe prorſus repugnet. Ergo etiam objectum propoſitionis de præſenti eſt immutabile; ac proinde neque ipſa propoſitio poteſt mutari.

Probatur demum *quoad propoſitiones de futuro.* Quia vel eo inſtanti in propoſitione deſignato prædicatum ſe habebit ad ſubjectum, ut ipſa enunciat propoſitio, vel non. Si primum: ergo propoſitio omni illo tempore, quod inſtans præcedit in propoſitione deſignatum, eſt vera. Si ſecundum: ergo toto illo tempore propoſitio eſt falſa.

Confirmatur. Propoſitio de præſenti eſt immutabilis. Ergo etiam propoſitio de futuro. *Prob. conſeq.* Verificativum *formale* propoſitionis de futuro eſt propoſitio de præſenti. Hæc enim propoſitio de futuro: *Petrus erit albus momento temporis A*, non eſt vera, niſi quia, poſito illo temporis momento, hæc eſt vera: *Petrus eſt albus*. Ergo, ſi propoſitio de præſenti immutabiliter vera eſt, aut falſa, hujuſcemodi quoque cenſeri videtur propoſitio de futuro.

Contraria diluuntur.

Opponitur primo. Veritas & falſitas ſunt accidentia propoſitionis. Ergo propoſitio vera poteſt falſa evadere, & falſa in veram mutari. *Añs* eſt Ariſtotelis, cui omnes adſtipulantur. *Prob. conſeq.* nam de ratione accidentis eſt, ita ineſſe ſubiecto, ut poſſit in eo perire, quin ſubiectum pereat. Ergo etiam veritas, ſi propoſitionis accidens eſt, poteſt ita in propoſitione perire, ut in falſam propoſitio ipſa mutetur.

℞. *diſting. añs*. Veritas & falſitas ſunt accidentia propoſitionis, adeout eidem propoſitioni poſſit utraque competere, *nego añs*. Sunt accidentia propoſitionis, hoc eſt, veritas & falſitas non ſunt de eſſentia propoſitionis, *concedo añs*, & *nego conſeq.* Quamvis ergo veritas & falſitas *proprietates*, atque etiam, ſi magis placet, *accidentia* propoſitionis dicantur, & ſint reipſa, hoc tamen ita intelligendum non eſt, ut ſit ſenſus, veritatem & falſitatem contingenter cuilibet propoſitioni convenire, adeo ut quælibet propoſitio vera potuerit eſſe falſa, & quævis falſa potuerit eſſe vera. Id enim falſum aperte eſt; cum manifeſte conſtet, propoſitiones in *materia neceſſaria*, & *impoſſibili* indifferentes *paſſive* non eſſe ad veritatem & falſitatem, ita nimirum, ut quæ modo vera eſt, falſa eſſe potuerit. Si autem de propoſitionibus in *materia contingenti* loquamur, fateor equidem, veritatem & falſitatem contingenter illis ineſſe, verum non ita, ut ſucceſſive utramque ſuſcipere poſſint. *Contingenter* vera eſt, quæ eſt vera; quia nonniſi *contingenter* ſubjectum ita ſe habet, ut ipſa enuntiat propoſitio. At ſicuti repugnat, ut, quod eſt, non ſit, quando eſt, ita repugnat, ut etiam in *materia contingenti* propoſitio ſemel vera mutetur in falſam, & viciſſim falſa in veram vertatur.

Dices. Paries albus poteſt fieri niger. Ergo etiam propoſitio vera poteſt in falſam mutari. Etenim, ut parieti albedo, ita propoſitioni veritas *contingenter* advenit.

℞. *nego conſeq.* Diſcrimen eſt; quia non manet objectum, cui compara-

patari poſſit propoſitio, ut modo vera, modo falſa dicatur. Non enim illud idem redire poteſt inſtans temporis, quo vera fuit propoſitio. At vero idem manet paries, qui ſpoliari albedine queat, & nigredine indui; ac proinde qui revera poſſit dici mutatus. Hinc paries ſuſceptivus contrariorum eſt, quemadmodum mutatio exigit, minime vero propoſitio. Nihil quippe propoſitio ſuſcipit, cum vera dicitur; nihilque, cum falſa vocatur. *Simpliciter enim a nullo neque oratio, neque opinio movetur*, inquit Ariſtoteles; *ſed ex eo tantum quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa* (a).

Opponitur 2. Judicet aliquis, *Petrum currere*; atque in hoc judicio unius horæ intervallo perſeveret. Currat autem Petrus nonniſi ſpatio dimidiæ horæ. Certe illa propoſitio vera eſt, ſi ad mediam unam horæ partem referatur; falſa vero, ſi cum altera horæ medietate comparetur. Ergo illa propoſitio modo vera, modo falſa eſt, ac proinde, quæ vera fuit, poteſt falſa effici.

℞. Qui judicat, *Petrum* currere, atque in hoc judicio unius horæ intervallo perſeverat, vel intelligit, Petrum currere per integram horam, vel nonniſi pro aliqua horæ parte. Si per integram horam curſum Petri duraturum cenſet, propoſitio abſolute falſa eſt, ſi tantum per dimidiam horæ partem Petrus currat. Quippe res ſecus contingit, ac ille putat. Si vero intelligit, una tantum horæ parte Petrum currere, vera eſt propoſitio, ſi pro una horæ parte Petrus currat: una, inquam, ſcilicet vel determinata, ſi eam ſuo judicio definierit; vel indeterminata, ſi dumtaxat judicaverit, fore, ut intra unius horæ ſpatium Petrus aliquando currat. Fallitur ergo, qui putat, hac in hypotheſi propoſitionem veram in falſam mutari. Quippe propoſitio nonniſi ad illud temporis ſpatium referenda eſt, atque cum illo comparanda, quo Petrum currere pronuntiamus, ut ipſa propoſitio vera, vel falſa cenſeatur; cum ſcilicet nonniſi ſpatium illud temporis ad ipſius propoſitionis objectum jure pertineat. Profecto, ſi ſecus, nulla eſſet propoſitio vera in *materia contingenti*; cum nulla ſit in hac materia, cujus objectum eodem ſemper modo ſe habeat, ac in ipſa propoſitione enuntiatur. Falſæ quoque eſſent omnes propoſitiones, quas de primo Chriſti adventu tradit Scriptura; propterea nimirum quia futura non amplius ſint, quæ futura in illis dicuntur.

Dices. Indifferens poteſt eſſe propoſitio ad ſignificandum hoc, vel illud inſtans temporis, quemadmodum iſta: *aliquis homo eſt albus*, eſt indifferens ad Petrum, Paulum &c. Ergo tranſire poteſt de vera in fal-

(a) *In. Prædicam* cap. *Subſtantia*.

Digitized by Google

falſam. *Prob. conſeq.* etenim tunc poteſt eſſe conformis ſuo objecto pro uno inſtanti, & non conformis pro alio.

℞. *diſting. añs*: poteſt propoſitio eſſe indifferens ad hoc; vel illud inſtans temporis, antequam de illius veritate, aut falſitate judicium feratur, *concedo añs*: cum de illius veritate, vel falſitate pronuntiandum judicium eſt, *nego añs*, & *conſeq.* Sicuti enim, ut hæc propoſitio: *aliquis homo eſt albus*, oſtendatur vera, ad unum certum, determinatumque individuum illius ſubjectum reſtringi debet; & cum illo comparari; ita, ut hæc propoſitio: *Petrus aliquando currit*, vera, vel falſa cenſeatur, tempus definiendum eſt; & ſicuti illa: *aliquis homo eſt albus*, non eſt falſa, ex eo quod Paulus non ſit albus, ita hæc: *Petrus aliquando currit*, falſa cenſeri nequit ob id, quod aliquo tempore Petrus non currat, ſed requiritur, ut nunquam currat, quemadmodum nullus homo debet eſſe albus, ut illa: *aliquis homo eſt albus*, fallere dicatur.

EXER-

EXERCITATIO V.

An intellectus, datis præmiſſis legitimi ſyllogiſmi, aſſentiri neceſſario debeat concluſioni.

NEmini dubium eſt, quin intellectus, poſtquam præmiſſas legitimi ſyllogiſmi tamquam veras permiſerit, illius quoque concluſioni aſſentiatur. At vero inter omnes non convenit, an mens noſtra id neceſſario præſtare debeat; num vero hujuſcemodi aſſenſio in noſtra ſit poteſtate. Id unum eſt ergo, quod modo aggredimur diſcutiendum.

DEFINITIO.

Duplex in potentia, quæ neceſſario dicitur operari, diſtingui vulgo ſolet neceſſitas, una ſcilicet, quæ *contrarietatis*, ſive *ſpecificationis*; altera vero, quæ *contradictionis*, ſeu *exercitii* nuncupatur. Prima eſt illa, qua ita determinatur potentia ad actum in ſpecie eliciendum, ut circa idem objectum, & quidem penes eandem rationem ſpectatum, actus contrarios, ut amoris, & odii, elicere non poſſit. Sic voluntas dicitur neceſſario amare bonum neceſſitate *ſpecificationis*; quia, nonniſi amando, poteſt circa bonum verſari. Secunda vero ea eſt, qua potentia ita determinatur ad operandum, ut, omnibus prærequiſitis poſitis, nequeat actum cohibere, ac prorſus otioſa conſiſtere. Talis eſt neceſſitas, qua ignis aridum lignum ſibi proximum comburit, atque in cineres redigit. Quippe fieri naturæ viribus haud poteſt, ut nulla tunc ſequatur combuſtio.

PROPOSITIO UNICA.

Datis præmiſſis legitimi ſyllogiſmi, intellectus aſſentiri neceſſario debet concluſioni, neceſſitate tum ſpecificationis, tum exercitii.

De veritate hujuſce propoſitionis Magiſtri utriuſque Scholæ uno ore conſentiunt. Angelicus ſiquidem Doctor, *naturaliter*, inquit, *& ex neceſſitate inhæret intellectus principiis, & concluſionibus haben-*

tibus neceſſariam connexionem cum illis (a). Doctor vero ſubtilis fatetur aperte, *neceſſario nos aſſentiri concluſioni propter principia* (b).

Probatur autem ratione. Datis præmiſſis legitimi ſyllogiſmi, permiſſa eſt hoc ipſo etiam illius concluſio. Ergo fieri nequit, ut intellectus tunc vel falſam concluſionem judicet, vel illi non aſſentiatur. *Conſeq. eſt evidens.* Repugnat enim, ut intellectus eandem ſimul propoſitionem affirmet, & neget, ſicuti etiam ut eidem aſſenſum ſimul præbeat, & non præbeat. *Prob. añs.* Nam, ſi legitimus eſt ſyllogiſmus, una præmiſſarum concluſionem continet; altera vero palam efficit intellectui, nobiſque veluti ob oculos ponit, concluſionem in illa contineri. Ergo permitti, tamquam veræ, minime poſſunt præmiſſæ legitimi ſyllogiſmi, quin conceſſa hoc ipſo ſit etiam illius concluſio.

Confirmatur, & quidem potiſſimum quoad *neceſſitatem exercitii*, quæ ſola videtur aliquid negotii quibuſdam faceſſere. Veræ cenſeri nequeunt præmiſſæ, quin concluſio ſtatim vera menti reluceat. Ergo, illis conceſſis, non poteſt intellectus concluſioni non aſſentiri. *Prob. conſeq.* nam intellectus reſpicit verum, atque in illo verſatur juxta leges potentiæ, ſive cauſæ naturalis. Conſtat autem, rationem potentiæ naturalis in eo eſſe poſitam, ut, poſitis prærequiſitis ad agendum, nequeat non operari. Ergo intellectus non poteſt circa verum, quod ſibi relucet, otioſus conſiſtere; ac proinde, conceſſis præmiſſis, nequit concluſioni non aſſentiri.

Reſpondetur objectis.

Opponitur 1. Intellectus eo modo reſpicit verum, quo bonum voluntas. Poteſt autem voluntas non amare bonum. Ergo etiam intellectus non aſſentiri vero. *Minor* eſt evidens. *Prob. ma:* ſicuti enim bonum eſt objectum voluntatis, ita verum eſt objectum intellectus. Ergo &c.

℞. *diſting. ma:* Intellectus eo modo reſpicit verum, quo bonum voluntas, quoad ſpeciem actus, *concedo ma:* quoad exercitium, *nego ma:*, & *permiſſa minore*, *nego conſeq.* Id unum itaque voluntati, & intellectui commune eſt, ut nec voluntas poſſit odio habere bonum, neque intellectus falſum judicare verum. At in eo diſcrepant, ut voluntas circa bonum polleat libertate exercitii; ea vero careat intellectus, dum in vero verſatur. Illa namque, omnium conſenſu, poten-

(a) P. I. q. 82. art. 1.
(b) In I. *Sentent.* Diſtin. 1. q. 4.

tentia libera eſt; hic autem naturalis, & quidem non aliam ob cauſam, niſi quia voluntas poteſt circa bonum otioſa conſiſtere, minime vero intellectus circa verum, ſi clare cognitum illud fuerit.

Opponitur 2. Intellectus eſt potentia ſubdita voluntati. Ergo impediri ab illa poteſt, ne vero aſſenſum præbeat. *Prob. conſeq.* nam, ſi ſecus, intellectus haud recte voluntati ſubjectus diceretur, ejuſque parens imperio. Ergo &c.

℞. *diſting. añs*: Intellectus eſt potentia ſubdita voluntati quoad exercitium ſuæ virtutis circa verum ſibi manifeſte apparens, *nego añs*. Circa verum obſcure cognitum, *concedo añs*, & *diſtinguo coñs*: impediri poteſt a voluntate, ne vero clare cognito aſſenſum præbeat, *nego conſeq.* Ne vero obſcure cognito aſſentiatur, *concedo conſeq.* Intellectus itaque imperio voluntatis obnoxius eſt, etiam quoad ſuæ virtutis exercitium, cum agitur de ferendo judicio ea ſuper re, quæ tantum obſcure cognoſcitur. Tunc enim intellectus eo inclinat, quo ipſum cogit voluntas. At ſi de re manifeſte cognita loquamur, intelleſtus non ita voluntati ſubiicitur, ut in præbendo aſſenſu, judicioque ferendo, ab illius nutu dependeat. Enimvero, quemadmodum voluntas prohibere minime poteſt intellectui, ne objectum illi debite præſens percipiat, ita impedire eidem nequit, ne verum eſſe judicet, quod verum eſſe cognoſcit. Non inficior, intellectum pendere a voluntate, ut potius unum, quam aliud objectum expendat, atque inſuper, ut, eo relicto, in quo verſatur, aliud aſſumat, quod conſideret. Hoc tamen noſtræ aſſertioni ne leviter quidem officit. Quandoquidem, conceſſis præmiſſis, ita præſens intellectui hoc ipſo eſt concluſio, ut in poteſtate voluntatis non amplius ſit impedire, ne in illa verſetur, eique aſſenſum præbeat; ſicuti, objecta intellectui lignea ſphæra, ei prohibere voluntas non poteſt, ne rotunditatem in ipſa attingat.

Opponitur 3. Ut intellectus aſſentiatur concluſioni deductæ ex præmiſſis ſpectantibus ad fidem, requiritur pius conſenſus voluntatis. Ergo poteſt intellectus hujuſcemodi concluſioni non aſſentiri; adeoque &c.

℞. *diſting. añs*: requiritur pius conſenſus voluntatis, ut intellectus aſſentiatur præmiſſis, *concedo añs*; ut aſſentiatur concluſioni, poſtquam jam conceſſit præmiſſas, *nego añs*, & *conſeq.* Quamvis ergo præmiſſæ ad fidem pertineant, ac proinde, utpote obſcuræ & inevidentes, pius requiratur voluntatis conſenſus, ut tamquam veræ ab intellectu admittantur; pio tamen ejuſmodi conſenſu opus non eſt, cum de concluſione agitur. Illis namque permiſſis, non minus cogitur

gitur intellectus ad aſſentiendum concluſioni, quam ad ejuſmodi aſſenſum cogeretur, ſi præmiſſæ certæ omnino eſſent, ac prorſus evidentes. Concluſio enim legitimi ſyllogiſmi continetur in præmiſſis, tamquam effectus in ſua cauſa, quæcumque ſit ipſarum præmiſſarum natura; ac propterea ſive evidentes per ſe illæ ſint, ſive inevidentes; facta hypotheſi, ut intellectus illis aſſenſum præbuerit, neceſſe eſt, ut etiam concluſioni aſſentiatur.

Opponitur 4. Poteſt intellectus aſſentiri uni contradictoriorum, quin alteri diſſentiat. Ergo poteſt etiam aſſentiri præmiſſis, quin aſſentiatur concluſioni.

℞. *diſting. añs*: poteſt intellectus aſſentiri uni contradictoriorum, quin alteri diſſentiat, ſi utrumque fuerit illi diſtincte objectum, *nego añs*. Si unum tantum illi reluceat, *concedo añs*, & *nego conſeq.* Comparari enim duo contradicentia haud poſſunt inter ſe, eorumque unum determinate nobis verum ſe prodere, quin alterum hoc ipſo falſum appareat; ac proinde nequit intellectus illorum uni aſſentiri, quin ſimul alteri, ut ajunt Scholæ, *poſitive* diſſentiat. At vero, cum poſſit una propoſitio cognoſci vera, quin de contradicentis falſitate ne leviter cogitemus, poteſt intellectus uni illarum aſſenſum præbere, quin de altera judicium ferat, illi adverſetur, eamque uti falſam rejiciat. Cum autem, poſitis præmiſſis, ipſa quoque concluſio jam poſita ſit, utpote in una præmiſſarum contenta; atque hujuſmodi continentiam altera illarum menti exhibeat, fieri minime poſſe arbitror, ut, præmiſſis conceſſis, mens ipſa circa concluſionem otioſa prorſus conſiſtat.

EXER-

EXERCITATIO VI.

An de eodem objecto penes eandem rationem ſpectato haberi in eodem intellectu ſimul poſſint ſcientia, fides, & opinio.

Convenit inter omnes, certo ſciri, evidenterque id a nobis poſſe cognoſci, quod antea vel credidimus tantum, vel nonniſi opinando admiſimus. At non convenit, num de eo, quod demonſtrationis ope notum nobis eſt, ac plane perſpicuum, opinari ſimul valeamus, fideique aſſenſu illud permittere. Affirmant ſiquidem plurimi & quidem non de turba Philoſophi, ſcientiam, fidem, & opinionem de eodem objecto penes eandem rationem ſpectato, ſimul poſſe in eodem intellectu conſiſtere. Negant vero alii, contendentes, ſcientiam, cum ſemel habetur, omnem penitus opinionem de eadem re, fidemque excludere; ſeu nullo modo poſſe fieri, ut mens fide, vel opinione in eo verſetur, quod jam ſcientia comprehendit. Ex his ergo quinam ſint, qui propius ad verum accedant, videndum eſt modo, ac pro viribus inquirendum. Digna enim res eſt, quæ accurate pertractetur.

HYPOTHESIS I.

Objectum aliquod per ſcientiam nobis innoteſcere, non aliud eſt, quam illud adeo clare diſtincteque, demonſtrationis ope, a nobis cognoſci, ut ne leviter quidem noſtra valeat mens de illius veritate ambigere. Eſt enim ſcientia, omnium Philoſophorum conſenſu, cognitio certa & evidens; ſive, ut ait S. Auguſtinus, res ſcientia comprehenditur, cum *firma ratione percepta & cognita eſt* (a); atque ejuſcemodi cognitio, eodem teſte, *non ſolum comprehenſis, ſed ita comprehenſis rebus conſtat, ut neque in ea quiſquam errare, nec quibuslibet adverſitatibus impulſus nutare debeat. Unde veriſimile a quibuſdam Philoſophis dicitur, in nullo eam poſſe, niſi in ſapiente inveniri, qui non ſolum perceptum habere debet id, quod tuetur, ac ſequitur, verum etiam inconcuſſum tenere* (b).

HY-

(a) Lib. *de quantitate animæ* cap. 26.
(b) Lib. I. *contra Academ.* n. 19.
alias cap. 7.

HYPOTHESIS II.

Contra vero nos aliqua de re opinari, perinde eſt, ac nos eam quidem tamquam veram admittere, eique aſſenſum præbere, verum non adeo ſtabili conſtantique animo, ut arbitremur, nos in hujuſmodi aſſenſu falli prorſus non poſſe. Quemadmodum enim ſcientia eſt earum rerum, quæ nobis clare nitideque relucent, ita opinio in iis rebus verſatur, quæ aliter revera eſſe poſſunt, ac nobis apparent; cum ſcilicet nonniſi probabilia ſint principia, quibus aſſenſus ipſe innititur. Hinc opinionem, ſi Tullio credimus, (a), *imbecillam aſſenſionem* jure dixerunt Stoici. Neque enim videtur fieri poſſe, ut fixo firmoque aſſenſu illi rei, quæ poteſt eſſe falſa, mens noſtra adhæreat. Scientis idcirco ab opinatore diſcrimen in eo quammaxime poſitum eſt, ut ille metuere nequeat, ne res aliter ſe habeat; hic vero firmus non poſſit ſua in aſſenſione conſiſtere.

HYPOTHESIS III.

Fides eſt aſſenſus auctoritati innixus. Si divina ſit auctoritas, quæ nos ad aſſenſum movet, fides divina dicitur; humana vero, ſi propter hominum dumtaxat auctoritatem aſſenſum præbeamus. Commune eſt utrique fidei in obſcuris verſari. Non enim cognitione complectimur, quod fide tenemus. Quippe ſolius rationis proprium eſt, cur res ita ſit, menti exhibere, palamque efficere. Hinc Apoſtolus, *eſt*, inquit, *fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium* (b).

ANIMADVERSIO.

Nulla eſt controverſia, ſi *ſcientia*, *fides*, atque *opinio* ad diverſas ejuſdem objecti rationes referantur. Inter omnes ſiquidem convenit, de eodem objecto, ſi penes diverſa conſideretur, *ſcientiam*, *fidem*, & *opinionem* haberi ſimul poſſe; quemadmodum nulla prorſus oppoſitio in eo eſt, ut mens circa rem unam opinando verſetur, aliam fide reneat, ſimulque aliam ſcientia complectatur. Eſt igitur diſceptatio dumtaxat, num mens opinari valeat de eadem ipſa re, quam ſcientia comprehendit; & an poſſit eandem ipſam rem, certo evidenterque cognitam, fidei aſſenſu admittere.

PRO-

(a) Lib. IV. *qq. Tuſcul.* cap. 7.   (b) Ad *Hebræos* cap. XI

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Fieri minime poſſe videtur, ut ſcientia ſimul atque opinio de eadem re in eodem intellectu conſiſtant.

Hanc ſententiam aperte olim docuit Ariſtoteles. Dixerat enim, *ejuſdem rei opinionem & ſcientiam non penitus eſſe*, remque eſſe manifeſtam, *quod neque opinari ſimul idem, & ſcire contingit* (a). Ariſtoteli conſentiunt Doctor Subtilis, & Angelicus. Ille ſiquidem ait: *cum ſcientia & opinio ſint ſimpliciter incompoſſibiles in eodem de eodem, ſi aliquis habeat primo opinionem de aliquo, & ſuperveniat demonſtratio, corrumpitur opinio; ſi enim amba cauſa ſint in eodem, ſcilicet medium dialecticum, & demonſtrativum, dialecticum nihil faciet, impeditum a medio demonſtrativo, ita quod nunquam effectus erunt ſimul, nec cauſa ſimul cauſabunt* (b). Angelicus vero, manifeſtum eſſe, docet, *quod non contingit omnino idem ſciri & opinari; quia ſcilicet ſimul homo haberet exiſtimationem, quod res poſſet aliter ſe habere, & quod non poſſet aliter ſe habere* (c).

Probatur autem ratione. Nemo dubitare ne leviter quidem poteſt de ſua exiſtentia; nemo ambigere, num vivat; neque metuere, num falſa ſint prima cognitionis principia. *Neque enim*, inquit S. Auguſtinus, *quiſquam ſinitur neſcire ſe vivere; quandoquidem, ſi non vivit, non poteſt aliquid vel neſcire; quoniam non ſolum ſcire, ſed neſcire etiam viventis eſt. Sicut ergo nos vivere, non ſolum verum, ſed etiam certum eſt, ita vera & certa ſunt multa, quibus non aſſentiri abſit, ut ſapientia potius, quam dementia nominanda ſit* (d). Ergo nemo quoque opinari de iis rebus poteſt, quas ſcientia comprehendit. *Prob. conſeq.* ideo ambigere nemo poteſt, num exiſtat, & vivat, veraque ſint prima cognitionis principia, quia ea omnia ſibi vel evidentiſſime conſtant. Atqui evidentiſſima itidem nobis ea ſunt, quæ demonſtrationis ope cognoſcimus, ſcientiaque complectimur. Ergo, ſi de illis dubitare non poſſumus, neque de iis, quæ ſcientia a nobis comprehenduntur, opinari valemus. Opinari ſiquidem de re perinde eſt, ut diximus, ac metuere, ne res ipſa aliter revera ſe habeat, atque menti relucet.

Confirmatur. Evidentia, & inevidentia, claritas, & obſcuritas, ſi cum

(a) Lib. I. *Poſter* cap. 26.

(b) In III. Diſtin. 24. q. unica *ſ. ad argumentum principale*.

(c) Lect. 44. ſuper primum *Poſteriorum*.

(d) In *Enchir.* cap. 20.

Digitized by Google

cum eodem objecto conferantur, non minus adverſæ ſibi mutuo ſunt, quam in eodem ſubjecto calor & frigus, identitas, & diſtinctio. Atqui fieri nequit, ut idem ſubjectum ſit nobis ſimul calidum & frigidum, ſimulque idem cum alio, atque ab illo diſtinctum. Ergo neque res eadem, fieri poſſe videtur, ut evidens nobis ſimul ſit atque inevidens, ſimulque nobis clare pateat, & in abdito deliteſcat. Evidens autem nobis eſt & clarum, quod ſcientia cognoſcimus; inevidens vero atque obſcurum, quod opinione tenemus. Ergo opinari ea de re minime poſſumus, quam demonſtrationis ope, jam veram eſſe, certo evidenterque ſcimus.

Poſtremo, aut poteſt fieri, ut, qui aliqua de re opinatur, opinari deſinat, aut non. Si non: ergo fruſtra olim laborarunt, & modo laborant tot Viri doctiſſimi, qui toti in eo ſunt, ut contra Scepticos oſtendant, de rebus omnibus non eſſe dubitandum, ſed extare plurima, de quibus opinari non licet. Si poteſt fieri: ergo ſcientia adeo opinioni adverſatur, ut ſimul in eodem intellectu conſiſtere nequeant. Non alio ſiquidem modo fieri poſſe videtur, ut aliquis opinari deſinat, niſi oſtendendo, plura eſſe, quæ ſciri poſſunt, & ſciuntur reipſa.

Neque porro valet, quod ajunt, diverſitatem ſcilicet *mediorum*, quibus opinio, & ſcientia innituntur, ſatis eſſe, ut omnis, ſi qua eſt, oppoſitio tollatur.

Contra enim eſt: quia in primis omnes norunt, ſcientiam, & opinionem adeo neceſſario diverſis mediis inniti, ut prorſus repugnet, medium, quo res probabiliter tantum cognoſcitur, ad certam evidentemque ejuſdem rei notitiam obtinendam poſſe itidem inſervire. Ergo vel ſcientia nullo plane modo opinioni adverſatur, vel ad hanc tollendam oppoſitionem diverſitas mediorum non ſufficit. *Secundo*: quia diverſitas agentium non ſufficit, ut idem ſubjectum ſit ſimul calidum, & frigidum, idemque corpus velociſſime ſimul moveatur, & tantum nutet, vacillet ſimul, & quieſcat. Ergo neque mediorum diverſitas ſatis eſt, ut rem ſcire, deque eadem ſimul opinari poſſimus. Non minus quippe inter ſe pugnare arbitror ſcire, & opinari, quam vacillare & quieſcere.

Objecta diluuntur.

Opponitur *primo*. Gaudium, & triſtitia non ita adverſantur ſibi mutuo, ut in eadem voluntate, & quidem penes idem objectum, ſimul componi non poſſint. Ergo neque ſcientia, & opinio adeo pugnant

Digitized by Google

gnant inter ſe, ut ſimul eas eſſe repugnet. *Prob. ans* : Chriſtus Dominus ſimul gaudebat, & triſtabatur ob ſuam paſſionem. Ergo &c.

℞. *diſting. ans* : gaudium, & triſtitia non adverſantur ſibi mutuo, ſi uterque affectus reſpiciat idem objectum penes eandem rationem, *nego ans* : ſi reſpiciant idem objectum, ſed penes diverſam rationem, *concedo ans*, & *nego conſeq.* Non minus itaque pugnare arbitror inter ſe gaudium, & triſtitiam, quam ſcientiam, & opinionem, ſi tam triſtitia, & gaudium, quam ſcientia, atque opinio cum eodem objecto & quidem penes eandem rationem ſpectato, conferantur. Sicuti enim certum & evidens nobis eſt, quod ſcientia complectimur; probabile vero id, de quo opinamur, ita gaudium in bono, triſtitia in malo verſatur; ac proinde quemadmodum fieri nequit, ut idem ſit nobis ſimul evidens, & inevidens, ita repugnat, ut idem nobis conveniens bonumque ſit, ſimul atque adverſum. Porro non inficior, Chriſtum Dominum ob ſuam paſſionem ſimul gaudio & triſtitia affectum fuiſſe; verum non ita, ut illa paſſio fuerit Chriſto objectum gaudii & triſtitiæ penes eandem rationem ſpectata. Erat enim objectum gaudii, quatenus medium redemptionis; objectum vero triſtitiæ, quatenus nimis ſuæ humanitati adverſa.

Opponitur 2. Actus ſcientiæ, & opinionis nullo modo ſibi mutuo adverſantur. Ergo poſſunt ſimul in eodem intellectu conſiſtere. *Prob. ans* : nam uterque actus poteſt eſſe verus, ſimulque affirmativus, vel negativus. Ergo &c.

℞. *neg. ans*, & permiſſo *ante* probationis, *nego conſeq.* Contrarii enim ſibi mutuo ſunt actus ſcientiæ, & opinionis, non quia unus ſit verus, & alter falſus, unus affirmativus, & alter negativus; ſed quia ratione cognitionis ſcientificæ intellectus ambigere nequit de veritate objecti; ratione vero opinionis nequit non dubitare.

Dices. Nulla in eo repugnantia eſt, ut objectum ratione *albedinis* viſum vehementer percellat, ſimulque ratione *odoris* eum ne leviter quidem afficiat. Ergo neque repugnat, ut ratione *medii ſcientifici* mens rem aliquam certo evidenterque cognoſcat; ratione vero *medii probabilis* ſimul de eadem opinetur.

℞. *conceſſo ans*, *neg. conſeq.* Diſcrimen eſt evidens. Nam *odor* ne leviter quidem impedit, quominus ratione *albedinis* objectum valide viſionis organum immutet, vehementerque afficiat. At vero *medium probabile* ſuum aſſequi nequit effectum, niſi impediat, quominus, prout exigat vis atque evidentia *medii* ſcientifici, intellectus firmo fixoque aſſenſu cognitæ veritati adhæreat. De ratione namque ſcientis eſt, ut de veritate cognitæ rei, ne quidem *radicaliter*, ſive *re-*

mote,

mote, ut Scholæ ajunt, dubitet. Contra vero eſt de intrinſeca ratione opinantis, ut *remote* ſaltem, ambigat, metuatque, ne revera res aliter ſit, ac eam percipit.

Dices iterum. *Odor* ne leviter quidem impedit, quominus *albedo* totam ſuam vim in oculum exerat, ipſeque oculus *albedinem* vel evidentiſſime aſpiciat. Ergo neque *motivum probabile* prohibere aliquo modo poteſt, ne intellectus ratione *medii ſcientifici* aſſenſu firmo cognitæ rei adhæreat.

℞. *permiſſo añs, nego conſeq.* Ratio diſcriminis eſt; quia *odor* aliam potentiam ab ea afficit, quam movet *albedo*. Ille ſiquidem *olfactus*, hæc vero *viſus* organum afficit. Contra vero *medium ſcientificum*, & *motivum probabile* eamdem potentiam, intellectum ſcilicet, reſpiciunt, in eoque contrarios effectus producunt, alterum nempe firmam, imbecillam alterum aſſenſionem.

Urgebis. Poteſt quis munus aliquod habere a Petro, ſimulque illud non habere a Paulo. Ergo poteſt etiam mens certo cognoſcere objectum ope *medii ſcientifici*, & ſimul illud certo non cognoſcere ope *medii probabilis*.

℞. *diſting. conſeq.* Poteſt mens certo cognoſcere objectum ope *medii ſcientifici*, & ſimul illud certo non cognoſcere ope *medii probabilis*, ita ut metuat, ne verum ſit, quod *medio ſcientifico* attingit, *nego conſeq.* ita ut nullo modo dubitet de veritate, ſed tantum judicet, *medium probabile* ſatis non eſſe ad terminandam mentem, ut firmam aſſenſionem objecto exhibeat, *concedo conſeq.* Itaque cum aliud ſit rem non cognoſcere, & aliud opinari, optime poteſt mens habere ſcientiam a *medio ſcientifico*, ſimulque eam non habere a *medio probabili*; quemadmodum poteſt quis munus habere a Petro, ſimulque illud a Paulo haudquaquam accipere. At vero, ſicuti non poteſt quis accipere munus a Petro, & ſimul illud ita non accipere a Paulo, ut ſimul aliquod a Paulo accipiat, quod illi muneri contrarium ſit, ipſumque deſtruat; ita fieri minime poſſe contendo, ut, obtenta evidenti rei cognitione ope *medii ſcientifici*, ſimul poſſit mens ita illam non habere ope *medii probabilis*, ut hujus ratione ſimul valeat eadem de re opinari. Error ergo ex eo totus oritur, quod putetur, non habere ſcientiam de aliquo objecto, perinde eſſe omnino, ac de illo habere opinionem; atque adeo ſatis eſſe *mediorum* diſcrimen, ut omnis, ſi qua eſt, inter opinionem & ſcientiam oppoſitio de medio tollatur; quemadmodum haud diſſimilem ob cauſam fateri cogimur, habere, & non habere munus ſibi mutuo minime adverſari. Ceterum non infieior, objectum, evidenter cognitum ope *medii demon-*

ſtra-

ſtrativi, cognoſci itidem poſſe ope *medii probabilis*, hoc eſt, poſſe mentem comparare *medium probabile* cum ipſo objecto, atque hinc dignoſcere, medium illud non ſufficere, ut objectum nitide percipiatur; quemadmodum objectum nudis oculis, atque adeo clare inſpectum, etiam trans viride vitrum explorari itidem poteſt, eoque mediante perſpici. Verum ſicuti viſio objecti trans vitrum viride tunc non efficit, ut in ferendo judicio de ipſo objecto mens noſtra nutet, id ſcilicet impediente, quæ præceſſit, clara ejuſdem objecti viſione; ita conſideratio objecti ope *medii probabilis*, cum jam illud fuerit nitide cognitum, planeque perſpectum ope *medii demonſtrativi*, ſuo caret effectu; hoc eſt, ita mentem non afficit, ut de veritate ipſius objecti actu valeat opinari.

PROPOSITIO II.

Fides nequit cum ſcientia ſimul in eodem intellectu componi.

Neminem poſſe credere, quod jam ſcientia comprehendit, apertiſſima Doctoris Subtilis ſententia eſt. Ait enim: *Dico, quod de creditis revelatis non poteſt viator habere ſcientiam proprie dictam de iiſdem; quod patet primo ex parte revelatorum; quia cum fide non poteſt ſtare apprehenſio terminorum in particulari diſtincta; quia tunc non eſſent credibilia. Secundo patet ex parte impoſſibilitatis habituum; nam ad ſcientiam proprie dictam requiritur evidentia objecti; evidentia autem objecti repugnat fidei, quæ eſt de non viſis; ideo dico, quod ſcientia & fides non poſſunt eſſe in eodem reſpectu ejuſdem* (a).

Probatur ratione. Quod nobis clare & evidenter vel ex ipſis terminis, vel propter rationem, aut experientiam verum apparet, certoque conſtat, nequit eſſe hujuſcemodi, ut tamquam verum propterea admittatur, quia ab aliquo etiam falli neſcio nobis tamquam verum proponitur. Hoc enim ipſo non auctoritas dicentis, ſed ipſius objecti claritas & evidentia, ſecus ac fides poſtulet, illud eſt, quod ad aſſenſum nos movet, allicit, ac prorſus determinat. Aperta autem res eſt, nobis eſſe perſpicua, ac prorſus evidentia, quæ ſcientia comprehendimus; eaque, ipſa ſua evidentia, ita nos cogere ad aſſenſum, ut liberum nobis nequaquam ſit, aſſenſum cohibere. Ergo fide teneri non poſſunt, quæ ſcientia comprehenduntur.

(a) In III. *Senten.* Diſt. 24. q. unica.

Digitized by Google

Reſpondetur objectis.

Opponitur primo. Sciens Deum exiſtere poteſt fieri & eſſe juſtus. Ergo Dei exiſtentia ſciri ſimul poteſt & credi. *Prob. conſeq.* Juſtificatio id unum neceſſario poſtulat, ut Dei exiſtentia credatur. Ergo, ſi qui, demonſtrationis ope, jam novit Deum exiſtere, capax juſtificationis eſt, poteſt credere, quod evidenter cognoſcit. *Prob. añs:* Nam ex Apoſtolo, *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator eſt* (a). Ergo &c.

R. permiſſo añte, nego conſeq., & diſting. añs probationis. Juſtificatio poſtulat, ut Dei exiſtentia credatur, ſi nota nequaquam ſit per demonſtrationem, *concedo añs*; ſi nota ſit per ſcientiam naturalem, *nego añs*, & *conſeq.* Verum itaque eſt, juſtum fieri neminem poſſe, niſi credat Deum exiſtere, ſi Deum vel prorſus neſciat, vel tantum opinione teneat. At eſt plane falſum, fidem hanc in eo requiri, qui Dei exiſtentiam certo & evidenter ex Philoſophia cognoſcit. Huic enim ſatis eſt, ut pium habeat affectum credendi, videlicet ut corde fateatur, ſe paratum eſſe ad Dei exiſtentiam fide tenendam, ſi evidenti, qua pollet, ejuſdem cognitione careret. Neque alia profecto eſt mens Apoſtoli, cum ait, neceſſariam eſſe fidem de exiſtentia Dei, ut aliquis ad Deum accedat; alioquin dixiſſet haud recte, fidem eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum, argumentum non apparentium; cum velit hoc loco, ut fide teneatur, quod jam ſcientia comprehenditur.

Ceterum prætereundum ſilentio non eſt, duplici modo conſiderari Deum poſſe, primo ſcilicet ut eſt prima rerum omnium cauſa, ſeu auctor naturæ: ſecundo ut eſt auctor gratiæ. Sub priori ratione poteſt non eſſe objectum fidei; ſub poſteriori vero nequit eſſe objectum ſcientiæ. Hinc accedentem ad Deum oportet credere, ipſum eſse auctorem gratiæ: oportet, inquam, credere; quia naturæ viribus ſub hac ratione Deus cognoſci a nemine poteſt. Oportet quoque credere, Deum exiſtere, qui cuncta creavit, ſua providentia regit, atque gubernat, non quidem abſolute, ſed facta hypotheſi, ut Deus ſub hac ratione, naturæ viribus notus evidenter non ſit, nobiſque nequaquam reluceat.

Opponitur 2. Ipſa rei evidentia poteſt eſse motivum determinans mentem ad credendum. Ergo non repugnat, ut id credatur, quod evidenter jam ſcitur. *Prob. añs.* Nam Chriſtus Dominus dixit Tho-

mæ

(a) *Ad Hebræos* cap. XI.

Digitized by Google

mæ dubitanti, num vera eſset ipſius reſurrectio: *quia vidiſti me, Thoma, credidiſti* (a). Ergo &c.

R. nego añs; & *diſting. añs probationis*: S. Thomas credidit, quia vidit, ita ut idem fuerit viſionis, fideique objectum, *nego añs*, ita ut aliud fuerit, quod vidit, aliud, quod credidit, *concedo añs*, & *nego conſeq.* Itaque S. Thomas, Chriſti carnem palpando, illius divinitatem credidit. *Dum vidit Thomas*, inquit S. Gregorius Papa, *dum palpavit, cur ei dicitur:* quia vidiſti me, credidiſti? *Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, & Deum confeſſus eſt, dicens*: Dominus meus, & Deus meus. *Videndo ergo, credidit, qui, conſiderando verum hominem hunc, Deum, quem videre non poterat, exclamavit* (b). Hujus porro rationem jam paulo antea aſſignavit idem S. Doctor, cum ait, ex fidei definitione ab Apoſtolo tradita liquido conſtare, fidem eſſe *illarum rerum argumentum, quæ apparere non poſſunt*; cum ſcilicet *quæ apparent, jam fidem non habeant, ſed agnitionem*. Neque alia fuit hac de re S. Auguſtini ſententia. *Hæc* enim, inquit, *eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur. Nam quid magnum eſt, ſi id creditur, quod videtur?* Unde ingenue ſe neſcire fatetur, *utrum credere dicendus ſit, quiſquis credit, quod vidit. Nam ipſa fides etiam in epiſtola, quæ dicitur ad Hebræos, ſic definita eſt*: Eſt autem fides ſperantium ſubſtantia, convictio rerum, quæ non videntur. *Quapropter, ſi fides eſt rerum, quæ creduntur, eademque fides rerum eſt earum, quæ non videntur* (c).

Opponitur 3. Quamplures propoſitiones ſimul ratione & auctoritate oſtenduntur. Ergo ſciri ſimul poſſunt, & credi. Ratio enim ſcientiam parit, auctoritas fidem.

R. diſting. añs Quamplures propoſitiones ratione ſimul, & auctoritate oſtenduntur, ita ut ratio evincat, eas eſſe veras; auctoritas non eſſe novas, *concedo añs*; ita ut tam ratio, quam auctoritas eas veras eſſe oſtendat, *iterum diſtinguo*, ſi ratio ſit demonſtrativa, *nego añs*; ſi ratio ſit tantum dialectica, *permitto añs*, & *nego conſeq.* Itaque vel ratio, qua aſſertio oſtenditur, rem prorſus ad evidentiam demonſtrat, vel probabiliter tantum ſuadet. Si primum: auctoritas eo unice tendit, ut evincat, aſſertionem non eſſe novam, ſed ab iis etiam traditam fuiſſe, quorum teſtimonia in medium afferuntur. Sin alterum: cum etiam ex ſummorum Virorum auctoritate gradum aliquem probabilitatis opinio accipiat, ratione & aucto-

(a) Joannis cap. XX.
(b) Homil. 26. *in Evangelia.*
(c) Tract. 79. *in Joannem.*

ritate opinio ipſa probatur, ut probabilior, quoad fieri poteſt, appareat. *Veriſimilia*, inquit Tullius, *partim ſingula movent ſuo pondere, partim, etiamſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, cum ſunt coacervata, proficiunt* (a); utque Ovidius ait:

......quæ non proſunt ſingula, multa juvant (b).

FINIS.

(a) *Partitionum Orator*. cap. XI.
(b) De *remedio amoris* v. 420.

Digitized by Google

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

ATtributum *ſupe-*
rius. pag. 11.
Inferius. ibid.
Accidens logicum quid
ſit. 16.
Accidens ſive *modus* rei
quid ſit. 25.
*Spiritu*a*le.* 27.
Corporeum. ibid.
Abſolutum. ibid.
Reſpectivum. ibid.
Modale. ibid.
Non modale. ibid.
Attributorum *oppoſitio.* 36.
Contraria. ibid.
Relativa. 37.
Privativa. ibid.
Contradictoria. 38.
Diſparata. ibid.
Axioma quid ſit. 82.
Antecedens in ratioci-
natione. 131.
Argumentatio quid ſit. 132.
Quotuplex. ibid.
Ejus principia. ibid.
Apologus quid. 158.
Argumentatio apodi-
ctica. ibid.
A priori. 159.
A poſteriori. ibid.
Apogogica. ibid.
Probabilis. 160.
Ars quid ſit. 204.

C.

COgnitio rei *compre-*
henſiva. 9.
Corpus quid ſit. 25.
Simplex. 26.
Compoſitum. ibid.
Vivens. ibid.
Non vivens. ibid.
Categoria quid ſit. 29.
Copula propoſitionis. 58.
Certitudo quid ſit. 82.
Conſequens quid. 131.
Conſequentia. ibid.

D.

D*Ifferentia* quid ſit. 11.
Eſſentialis. ibid.
Accidentalis. ibid.
Proxima. ibid.
Remota. ibid.
Suprema. 12.
Media. ibid.
Infima. ibid.
Generica. ibid.
Specifica. ibid.
Individualis. 13.
Differre *ſpecie.* 10.
Numero. 12.
Differentia *communis.* 17.
Propria. ibid.
Maxime propria. ibid.
Diviſio quid ſit. 21.
Potentialis. 22.
Eſſentialis. ibid.
Phyſica. ibid.
Metaphyſica. ibid.
Integralis. ibid.
Accidentalis. 23.
Diviſionis regulæ. ibid.
Diviſio *entis.* 24.
Definitio quid ſit. 46.
Definitio nominis. ibid.
Definitio rei. ibid.
Eſſentialis. ibid.
Accidentalis. 46.
Definitio genetica. ibid.
Quæ animadvertenda
circa definitionē. 46. & ſeq.
Definitionis regulæ. 48.
Diſcurſus quid ſit. 130.
Dilemma quid. 156.

E.

ENs quid ſit. 24.
Ejus diviſio. 25.
Enthymema quid. 155.
Epichirema quid. ibid.
Exemplum quid. 157.

F.

F*Alſitas* cognitionis. 17.
Fides. 236.
Finis quid ſit. 201.
Intrinſecus. ibid.
Extrinſecus. ibid.
Proximus. 202.
Remotus. ibid.

G.

G*Enus* quid ſit. 10.
Proximum. ibid.
Remotum. ibid.
Supremum. ibid.
Medium. ibid.
Infimum. ibid.

H.

H*Æreticus* quis cenſeri
debeat. 86.

I.

I*Dea* quid ſit. 6.
Differt ab *imagina-*
tione. ibid.
Simplex. ibid.
Complexa. ibid.
Adæquata. 7.
Inadæquata. ibid.
Adventitia. ibid.
Factitia. ibid.
Innata. ibid.
Univerſalis. 8.
Particularis. ibid.
Singularis. ibid.
Ideæ *comprehenſio.* ibid.
Extenſio. ibid.
Idea univerſalis quotu-
plex ſit. 9.
Iſagoges Porphyrii. ibid.
Individuum quid ſit. 12.
Idea *vera.* 17.
Falſa. ibid.
Clara. 18.
Obſcura. ibid.
Diſtincta. ibid.
Confuſa. ibid.
Quæ animadvertenda,
ut clara & diſtincta
rei notio acquiratur. 19.
Idearum ſigna. 40.
Judicium quid ſit. 51.
Affirmativum. 52.
Negativum. ibid.

Ve-

Digitized by Google

Verum. ibid.
Falſum. ibid.
Judicii vitia. ibid.
Quomodo illis occurrendum 54.
Judicii affirmativi principia. 56.
Judicii negativi principia. 57.
Illatio quid ſit. 127.
Ejus regulæ. 129.
Inductio quid. 157.

L.

Logica quid ſit. 1.
Dividitur in *Dialecticam*, & *Apodicticam*. ibid.
Ejus inventio. 2.
Ejuſdem partitio. 4.
Logicæ *finis*. 202.
Logica non eſt *Ars*, ſed *Scientia*. 204.
Eſt ſcientia lato modo *practica*. 210.
Logicæ *objectum*. 213.
Materia. ibid.

M.

Modus quid ſit. 27.
Poſitivus. 28.
Negativus. ibid.
Mendacium quid ſit. 60.
Methodus quid ſit.
Logico-analytica. ibid.
Logico ſyntbetica. 176.
Studendi. 184.
Diſputandi. 190.
Materia facultatis practicæ. 211.

N.

Nomen quid ſit. 43.

O.

Oppoſitio *incomplexa*, 36
Complexa. ibid.
Objectum Scientiæ. 211.

P.

Perceptio ſimplex. 5.
Porphyrii *arbor*. 14.
Vindicatur. 15.
Proprium quid ſit. ibid.
Quotuplex ſit. ibid.
Genetricum. ibid.
Specificum. 16.

Prædicamenta. 28.
Prædicabilia. 29.
Reficitur Scholaſtica de *prædicamentis* opinio. 34.
Prioritas rerum. 39.
Poſterioritas. ibid.
Præjudicium infantiæ. 53.
Præcipitatio mentis. ibid.
Propoſitio quid ſit. 57.
Prædicatio directa. 58.
Indirecta. ibid.
Prædicatum propoſitionis. ibid.
Propoſitionis *forma*. 58.
Propoſitio *affirmativa*. ibid.
Negativa. ibid.
Propoſitionis *qualitas*. 60.
Propoſitio *vera*. ibid.
Falſa. ibid.
Propoſitionis *materia* circa *quam*. 61.
Prop. *neceſſaria*. ibid.
Contingens. ibid.
Eſſentialis. 62.
Accidentalis. ibid.
Mediata. ibid.
Immediata. ibid.
Identica. ibid.
Formalis. ibid.
Propoſitio *modalis*. ibid.
Quotuplex. ibid.
Propoſitionis *materia ex qua*. 65.
Propoſitio *ſimplex*. ibid.
Compoſita. ibid.
Compoſita explicite. ibid.
Propoſitio *conditionalis*. 66.
Copulativa. ibid.
Disjunctiva. ibid.
Cauſalis. 67.
Diſcreta. ibid.
Relativa. 68.
Prop. *compoſita implicite*. ibid.
Propoſitio *excluſiva*. ibid.
Exceptiva. 69.
Comparativa. ibid.
Reduplicativa. 70.
Prop. *incidens*. 71.
Propoſitionis *quantitas*. ibid.
Propoſitio *univerſalis*. ibid.

Metaphyſice. ibid.
Moraliter. ibid.
Propoſitio *particularis*. ibid.
Indefinita. ibid.
Singulares. ibid.
Propoſitionum *oppoſitio*. 72.
Contradictoria. ibid.
Contraria. 73.
Subcontraria. 74.
Subalterna. 75.
Propoſitionum *converſio*. 77.
Æquipollentia. 79.
Propoſitio *neceſſario vera*. 81.
Metaphyſice. ibid.
Phyſice. ibid.
Moraliter. ibid.
Propoſitio *evidens*. 82.
Per ſe nota. ibid.
Propoſitio *certa*. ibid.
Objective. 83.
Subjective. ibid.
Metaphyſice. ibid.
Phyſice. ibid.
Moraliter. ibid.
Propoſitio probabilis. 83.
Intrinſece. 85.
Extrinſece. ibid.
Propoſitio *improbabilis*. 86.
Propoſitio *dubia*. ibid.
Poſitive. ibid.
Negative. ibid.
Propoſitio *temeraria*. ibid.
Hæretica. ibid.
Erronea. 87.
Proxima hæreſi, vel *errori*. ibid.
Sapiens hæreſim aut *errorem*. ibid.
Favens hæreſi aut *errori*. ibid.
Schiſmatica. ibid.
Injurioſa. 90.
Blaſphema. ibid.
Scandaloſa. ibid.
Piarum aurium offenſiva. ibid.
Simplicium ſeductiva. ibid.
Captioſa. ibid.
Probabilitas propoſitionum quomodo definiatur. 94.

Quo-

Quomodo exprimatur. ibid.
Probabilitas abſoluta. 95.
Ex comparatione. ibid.
Propoſitio *dubia* quomodo exprimatur. 99.
Quomodo *improbabilis*. ibid.
Præmiſſæ ſyllogiſmi. 136.
Parabola quid. 158.

Q.

Quantitas quid ſit. 31.
Quotuplex. ibid.
Ejus proprietates, 32.
Qualitas quid ſit. ibid.
Quotuplex. ibid.
Ejus proprietates. 32.

R.

Relatio quid ſit. 34.
Quotuplex. ibid.
Ejus proprietates. ibid.
Ratiocinatio quid ſit. 130
Reductio ſyllogiſmi imperfecti ad perfectum. 148.
Oſtenſiva. ibid.
Per impoſſibile. 149.

S.

Species quid ſit. 12.
Subiicibilis. 13.
Prædicabilis. ibid.
Suprema. ibid.
Media. ibid.
Infima. ibid.
Subſtantia quid ſit. 25.
Ejus diviſio. ibid.
Diviſio *ſubſtantiæ* Purchotiana expenditur. 26.
Subſtantia *prædicamentalis*. 29.
Ejus diviſio. ibid.
Proprietates. 30.
Simulatas rerum 39.
Signum ſenſibile quid ſit. 40.
Naturale. ibid.
Arbitrarium. ibid.
Verum. ibid.
Falſum. ibid.
Certum. ibid.
Incertum. ibid.
Probabile. ibid.
Subjectum propoſitionis. 57.
Senſus ſuam habent certitudinem. 97.
Syllogiſmus quid ſit. 135.
Simplex. 136.
Compoſitus. 137.
Syllogiſmi *materia* ibid.
Forma. ibid.
Figura. ibid.
Modus. ibid.
Syllogiſmi *figuræ*. ibid.
Modi. 139.
Syllogiſmorum *principium univerſale*. 150.
Syllogiſmus *conditionalis*. 152.
Copulativus. 153.
Disjunctivus. ibid.
Sorites quid. 157.
Sophiſmata intellectus. 161.
Voluntatis. 167.
Scientia quid ſit. 204.
Theoretica. 209.
Practica. ibid.
Scientia nequit eſſe cum opinione. 237.
Neque cum fide. 241.

T.

Totum potentiale 22.
Eſſentiale. ibid.
Integrale. ibid.
Accidentale. ibid.
Traſcendentale attributum. 35.
Terminus vocalis quid ſit. 43
Categorematicus. ibid.
Syncategorematicus. ibid.
Subſtantivus. ibid.
Adiectivus. ibid.
Concretus. ibid.
Abſtractus. ibid.
Abſolutus. ibid.
Reſpectivus. ibid.
Finitus. ibid.
Infinitus. ibid.
Univocus. ibid.
Æquivocus. ibid.
Analogus. ibid.

V.

Veritas cognitionis 17.
Vox quid ſit. 42.
Articulata. ibid.
Innarticulata. ibid.
Verbum quid ſit. 58.
Verax homo. 62.
Mendax. ibid.

FINIS.